# SYNODVS DIOECESANA CORTONENSIS

Sub Illuſtriſsimo, & Reuerendiſſimo COSMO Minerbetto Epiſcopo

*Celebrata die XXX. & XXXI. Menſis Maii 1624.*



1872

FLORENTIAE
Apud Bartholomęum, & Marcum Sermartellios 1624.

*Superiorum Permiſſu.*

# COSMVS MINERBETTVS
## DEI, ET APOSTOLICAE
### Sedis gratia Epiſcopus Cortonenſis

*Venerabilibus, & cariſsimis fratribus noſtris Præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ac Parochis, & Clericis noſtræ Diœceſis, ſalutem in eo, qui eſt omnium noſtrum vera ſalus.*

CVM Diuina tantùm clementia nullis noſtris exigentibus meritis ad onus huius regendę Eccleſię nos vocatos agnoſcamus, officii noſtri partes ducimus ea vobis proponere, quæ obſeruare, ac declinare debeatis, vt vnuſquiſq. veſtrùm dignè munus ſuum adimplens retributionem à Patre miſericordiarum potius, quam vltionem mereatur accipere. Quamobrem in viſitatione nuper à nobis in plurimis Eccleſiis, ac Monaſteriis noſtræ Diœceſis per nos metipſos habita multa deprauata inuenientes, decreuimus ſtatim Synodum Diœceſanam conuocare, in qua zizania omnia, & corruptelas, quæ ſegetem Domini, quam

ipſe nobis metendam, & in horreum Cœli congregandam commiſit, corrumpunt, & contriſtant, vobis omnibus proponeremus: vt ea vnanimi conſenſu euellentes, & deſtruentes ædificaremus, & plantaremus Vineam Domini Sabaoth, quæ Patri illi miſericordiarum non Labruſcas, ſed Vuas, & fructus aliquando ſuauiſsimos proferret; cũ valde timendum ſit nobis omnibus, ſi, cum vnigenitus Dei filius proprio ſanguine hanc Vineam à captiuitate Diaboli redemerit, ac tot laboribus, cum in terris moraretur, excoluerit, noſtra incuria, ac deſidia ſterilis, & infructuoſa reddatur. Oramus ergo vos (fratres) ac per viſcera miſericordię Dei noſtri obſecramus memores Apoſtolici precepti, vt omnia, quæ veſtro conſilio ſtatuimus, inuiolabiliter obſeruetis, & ab aliis, quorum cura vobis com miſſa eſt, obſeruari faciatis. & ſic nec vos de noſtro Paſtorali officio, nec nos de veſtra ſollicitudine, & debita in nos obedientia, & obſeruantia conqueri poterimus, & omnes (quod magis vrgere debet) vberem à Deo pro laboribus, & vigiliis noſtris mercedem expectabimus. Valete.

PRIMA ſeſſio habita eſt die 30. Maii, cùm omnes Sacerdotes, & Clerici Ciuitatis, & Diœceſis Cortonenſis in Palatio Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Epiſcopi conueniſſent, & ipſum ad Cathedralem Eccleſiam proceſsionaliter incedentes deduxiſſent, à quo ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto celebrata, Synodus incœpta eſt.

Reuerendi PP. placet ne vobis, vt hodie ad laudem, & gloriam Sanctę, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad iuuandam, & augendam Eccleſiaſticā diſciplinam, pro abuſibus tollendis, reformandis moribus, corrigendis exceſsibus, aliiſq. ex Sacrorum Canonum permiſſu ſtatuendis Diœceſana Cortonenſis Synodus incipiat, & incœpta ſit? Reſponderunt. Placet.

Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus in Chriſto Pater, & Dominus D. COSMVS Minerbettus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Corton. ſtatuit, & decreuit, ſi alicui contigerit in præſenti Synodo ſuo loco non ſedere, aut non ordine vocari, nullum ei præiudicium fieri, ſed omnia in priſtino ſtatu remanere.

Poſthæc Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus Epiſcopus Pluniali indutus cum Mitra pretioſa, ac Baculum Paſtoralem manu tenens è ſede deſcendit, & deducentibus hinc inde admod. Reuerendis DD. Canonicis acceſsit ad gradus Altaris, verſus ad ipsū preces, & orationes habuit prout in Pontificali Romano. Quibus peractis, & Euangelio dicto præfatus Illuſtriſsimus ante medium Altaris ſedens in Faldiſtorio verſus ad Synodum ipſam huiuſmodi verbis allocutus, & adhortatus eſt.

Nihil eſt (Reuerendi fratres Sacerdotes, & coadiutores noſtri) quod nobis magis cordi fuerit ex die, quo hanc regendam Eccleſiam ſuſcepimus, quam prouidere, ne quę à Summis Pontificibus, Oecumenicis Conciliis, & pręcipuè à Tridentino de cultu Diuino, Sacramentorum adminiſtratione, & de cura animarum decreta, & ſtatuta ſunt, negligantur, ſed debitę executioni mandentur. Hoc à nobis Paſtoralis ſollicitudinis officium exigit, vt poſtquam diligenter oues à Deo nobis commiſſas agnouerimus, quicquid in eis deperditum eſt reducere, quicquid morboſum ſanare, quicquid confractum alligare, quicquid infirmum conſolidare curemus, ne maledictionis illius, quam Deus opus ſuum negligentibus comminatus eſt, participes, velut à bono torpentes ſerui damnemur. Quod enim Dominus Ieremiæ mandauit, nobis quoque mandatum, & iniunctū agnoſcimus, vt ſcilicet clamantes nunquam ceſſemus, & vocem noſtram quaſi tuba exaltantes annunciemus populo noſtro ſcelera eorum, & domui Iacob, huic ſcilicet Eccleſiæ, peccata eorum. Hoc igitur

A manus

munus adimplere cupientes vos hùc aduocauimus, vt vnà vobiſcum quid Parochorum zelus, & charitas, quid Sacerdotum, reliquorumq; Clericorum vitæ integritas, quid Monialium puritas, & ſanctitas requirat ex Domini præcepto, & ex Pontificum, & Conciliorum decretis ſtatuentes, ea cunctis noſtræ curæ ſubiectis ſeruanda præcipiamus. Vos autem (fratres) admonemus, tales vos in omnibus verbis, & actionibus, & in tota conuerſatione exhibeatis, vt Deo, cui ſeruire regnare eſt, placere poſſitis; Altera enim nobis Synodus inſtat, quam vobiſcum D. Bernardo futuram prænunciamus. in ea Dominus Deus ſedebit in iudicio, & ibi omnes nos repræſentari oportet ſiue ſit Epiſcopus, ſiue ſimplex Clericus, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue doctus, ſiue indoctus, vt referat vnuſquiſq; rationem de his, quę geſsit in corpore, ſiue bona, ſiue mala. Et ſi (teſte Apoſtolo) reddenda eſt ratio de his, quę quis geſsit in corpore, quanto maior reddetur a vobis de his, quæ vnuſquiſq. veſtrum geſſerit in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia? Eccleſia Dei vobis (fratres) commiſſa eſt, ſalus vobis credita animarum, quarum ſanguinem, ſi ipſę culpa, vel negligentia veſtra perierint, bonus ille Paſtor Chriſtus, qui animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit, à vobis in illa die requiret. Vt igitur boni Paſtoris munus adimplere poſsitis, quattuor vobis neceſſaria eſſe ducimus; vt per Oſtium intretis; vt vos in humilitate contineatis; auaritiam declinetis; & munditiam tam corde, quam corpore ſeruare ſtudeatis. Per Oſtium intrāt qui Canonicè eliguntur, non cognatione, aut muneribus, qui in innocentia propria ingreſsi Paſtoris non furis nomen merentur. Sed quid proderit Canonicè electos eſſe, quod eſt per oſtium intraſſe, niſi poſtea Canonicè viuatis, virtutes ſectemini, vitia omnia fugiatis? Hoc autem aſſequemini, ſi voci noſtræ parentes Synodalibus conſtitutionibus noſtris obedietis; his enim, qui nam ſit canonicus Paſtoris per Oſtium ingreſſus oſtenditur, commendatur humilitas, prohibetur auaritia, & quam vitæ puritatem, ac morum ſanctitatem in Sacerdote ſuo Dominus requirat, qui dicit, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, demonſtratur. Curate igitur munus per vos ſuſceptum dignè exequi nobis parendo, quemadmodum à dilecto nobis Flaminio Cecchetto fuſius audietis.

ORATIO

# ORATIO DE OBEDIENTIA

*Habita à Flaminio Cecchetto Sacerdote Corton. Philoſopho, ac Theologo in Cathedrali Corton. Eccleſia in Synodalibus Conſtitutionibus.*

DVm, Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime Antiſtes, Sacri Heroes, voſq; cæteri, qui adeſtis A.A.PP. mecum ipſe intueor Cathedralem hanc Corton. Eccleſiam ad huius pulcherrimi mundi exemplar inſtitutam, mundum ipſum videre mihi videor. Propterea quod ſi primũ Moues, à quo Cœlum, totaq. natura dependet, inſpiciam, ecce Pręſul noſter, qui in maxima maximus ſede, ac loco Diuino ferè Diuinus, potentia, ſapientia, ac bonitate ceteros omnes antecellit: Si Firmamentum Syderum varietate ſplendidiſsimum, ecce eius facies tota ſplendida, tota ſerena, religionem, ſanctitatem, morumq; grauitatem commonſtrans: Si Solem amœniſsimum, ecce eius Cor, à quo ſuis Canonicis, tanquam proprijs corporis membris vita verè felix, verèq. beata communicatur; Si ceteros Cœleſtea globos immortalis Dei gloriam enarrantes, ecce tot præclari Sacerdotes Saturni modeſtiam, Iouis regiam dignitatem, ac maieſtatem, Martis fortitudinem, Mercurij ſcientiam redolentes: Si deniq; Elementa, circa quæ ſempiterno, ac irrequieto motu cœleſtia corpora cientur, ecce hic Populus Corton. optimis legibus, ac inſtitutis gubernatus, cum à prudentiſsimo Antiſtite per virtutem ad virtutem, per bonitatem ad bonitatem, ad debitos, ac præordinatos fines perducatur. Vniuerſum hoc conſiderans diuinus ille Plato nedum Athenarum, verum etiam totius Gręciæ ſplendor, ac ornamẽtum eius pulcbritudinem, ordinem, ac diſtinctionem à ſummo artifice inductam Coſmon appellauit, huncq. ternario numero comprehendi græcarum litterarum monumentis conſignauit. Primum intelligibilem, ac Idealem in Diuina illa mente ab æterno exiſtentem non immeritó nuncupauit: Cœleſtem alterum ex tot ſupernis globis conflatum: & hunc infimum, ac Elementarem, in quo tanquam omnium Dominus Homo inhabitat, à Cœleſti, & Ideali mundo contentum, ſumma q. ratione gubernatum, vt inquit Naturę diligentiſsimus indagator Ariſt. in Met. In hac veſtra Corton. Eccleſia tot ſacratiſsimorum Miniſtrorum varietate inſignita, vt Diuina peragant officia, Diuinas concinant laudes, Diuina enarrent magnalia, Diuinã ſcientiam Chriſtianum edoceant populum, triplicis huius Mundi reperitur Idea, imago, ac ſimulacrum. Architypus Coſmos in ſapientiſsimi Antiſtitis veſtri mente reſidet, ideo iure optimo Coſmos appellatur; habet enim in ſua penè Diuina mente rerum omnium efficiẽdarum, ac agen-

A a darum

darum Ideas, ac rationes, quas præfinitis temporum momentis ad ſectus reducet maximè ſibi ſimiles, in quantum poterit, pro rectè gubernanda hac Corton. Eccleſia. Cœleſtis Coſmos eſt corona hęc nobiliſsima tot mortalium, ac terreſtrium Deorum, qui Idealis Coſmi voluntati obſequentes infimũ Coſmium, ſcilicet Dei populum eorũ curæ commiſsũ ſumma cura cuſtodiũt, ac gubernant: Et ſicuti omnia producta primi Motoris nutui parent, eiuſq. imperio ſubiacent, ita vos AA. PP. Antiſtiti veſtro parere, eiuſq; imperio ſubiici debetis: nam, ex Xenophontis ſententia, quæ hoc tempore habetis bona, ob nullam aliam cauſã adepti eſtis, quam ob præſtitã Obedientiã veſtro Principi. Veſter Princeps ſit Coſmus Minerbettus nobiliſsimis ſatus Parentibus in florẽtiſsima Florentiæ vrbe, quæ totius terrarũ orbis admirabile extat cõpendium: Coſmus appellatus ob inſignẽ virtutũ coronã, quibus eſt decoratus, Minerbettus uerò ob admirandam ſapientiam pulcherrimum Dei donum à Minerua (vt tradunt fabulæ) ſapientiæ Dea ſumma liberalitate ſibi collatam. In illo ſunt omnes perfectiones, omnes virtutes, omnia denique bona, quæ, cum in aliis ſint ſparſim, & participata, in illo ſunt vnitè, & eminenter. Veſter Princeps ſit veſter Coſmus Idealis; ipſi obedientiam, quam iam iure iurando polliciti fuiſtis, exhibete; eſt enim Eccleſiæ veſtræ Sol, cuius luce, ac candore illuſtratur, cuius calore fouetur, cuius virtute recreatur: ipſe eſt, qui in hoc magnificentiſsimo Templo Summi Dei vices gerit, cui obediendo obedientia veſtra Deo gratiſsima erit, de qua quædam audire ne dedignemini. Tanta, adeoq; mirabilis à mortalibus cunctis aliquo cognitionis radio illuſtratis virtus hæc iudicatur, vt nulla mirabilior, nulla hominum generi vtilior in rerum natura aſſe, & excogitari poſsit; quemadmodum enim inter Sydera Sol, inter elementa Cœlum, inter animalia homo magis effulgere videtur, ita inter omnes virtutes, quæ forſitan in tenebris deliteſcerent, vnam Obedientiam magis elucere arbitremini, principemq; locum ei tribuendum exiſtimate, cum virtutes omnes Ducem ſequantur Obedientiam; propterea quod Fides in animo requieſcit, Spes roboratur, Charitas erga omnes piè, ſanctèq; exercetur. Per vnam Obedientiã Iuſtitia eſt à ſeditionibus aliena, pacis ſtudioſa, quietis amica, improborum inimica, caſta, veneranda, Deo gratiſsima. Per hanc (ò Deum immortalem) Iuſtitia non perit, non languet, non euaneſcit, non recedit à familiis, Reſpublicas non deſerit, cuſtodit Regna, auget Imperia, ipſum deniq; Mundum harmonicè conſtitutum in eſſe proprio conſeruat. Per vnam Obedientiam Fortitudo, qua humanæ animę Diuinę hominis partis immaniſsimi hoſtes, & crudeliſsimi Pelopidæ vincuntur, ſuperantur, ac proſternuntur, ocio non torpet. Per vnam Obedientiam Temperantia, quę eſt animi robur, virtutum fundamentum, concentus, & harmonia, admirabile

ſuſcipie

ſuſcipit incrementum. Per vnam Obedientiam Prudentia, quæ eſt virtutum Regina, lucidiſsimus humanæ mentis oculus, quo bona, & vtilia, honeſta, & turpia diſcernuntur, factaq. conuenientia iudicantur, & emendantur, orationis origo, eloquentiæ fons, animi concinnitas, in pace, in bellis adiumentum, ac refugium, acquiritur, & conſeruatur. Quid plura PP. AA.? Virtus hæc vno omnium ſapientum ore, vnoq. conſenſu ſublimia deprimit, humilia erigit, Luxuriam reprimit, Caſtitatem perpetuo fouet, Inuidiam extinguit, Pietatem excolit, Gulę voluptates, quibus fragile hoc corpus corrumpitur, euellit, Continentiam honeſtiſsimarum animę affectionum munimentum maximè nutrit, Auaritiam de medio tollit, Liberalitatem alit, Iram fugat, Manſuetudinem conſeruat, agreſtem, inhumanamq. negligentiam præcidit, diligentiam amando cuſtodit, & tandem (vt paucis quam plurima concludam) eius virtute mala omnia, quibus humana vita acerbiſsimè afflictatur, abſcedunt, bona omnia adueniunt; adeo vt omnibus virtutibus viam facillimè aperiat, vitiis intercludat, cuncta optimè adminiſtret, ſuumq. imperium non tantùm in humanis exerceat, verum etiā ad Diuina vſque perueniat. Poſita igitur (vt audiſtis) hac inſigni virtute, omnes aliæ tanquam ab vberrimo quodam fonte, ac fœcundiſſima matre oriri, fluere, ac ſcaturire videntur: hac ablata, ſolum remanet virtutis imago, & vix veſtigium vllum apparet. Hanc hanc amate PP. optimi, hanc ſectemini, hanc amplectimini; eſt enim in hoc procelloſo vitæ mari, quam nullus agitat ventus, Anchora felix. Hæc vos in ſuauiſsimum omnium laborum, ac periculorum portum ducet; Hæc vos relictis hiſce terrenis rebus, tanquam fidiſsimus quidam comes nunquam vos deſerens, ad cœleſtem Patriam bonis omnibus refertam feliciſſimè perducet. Eia, eia igitur AA. PP. ecce in foribus adeſt, vos expectat, illius Diuinam pulchritudinem intuemini, ad illam vos allicit, vos inuitat, vos variis hortatur promiſsis. Verax eſt, non eſt mendax; eſt enim inſtar Dianæ in Chio, cuius facies, ſi de ſublimi vertice ſpectabatur, intrantibus triſtis, ac ſeuera, exeuntibus hilaris, ac iucunda videbatur: Sic eſt Obedientia: primo intuitu triſtis, ac ſeuera apparet, & temporis progreſſu hilaris, ac iucunda probatur, & pulcberrimam ſe ſuis præbet amantibus. Ideo, ſi vos alloqui ſibi liceret, ita vos hortaretur. Ne ſpernatis me quæſo tantum, adeoq; mirabile bonum, neuè vobis grauis, ac difficilis videar; intus enim, non extrinſecus latet mea pulchritudo, & fructuum meorum tanta eſt ſuauitas, tantaq. dulcedo, vt, qui illos vix labiis ſemel deguſtarunt, omnes labores contempſerint, dura omnia, omnia aſpera floccifecerint: Me etenim duce amatores mei Principum amici euaſerè, ſuperioribus grati extiterè, Deoq; accepti, qui ore Apoſtolico præcepit Præpoſitis eſſe obediendum, Obedire Præpoſitis non eſt ſeruitus, ſed libertas, pax,

animi

animi tranquillitas: Seruire illis regnare eſt; ſunt etenim Epiſcopi ſecundi quidam, ac terreſtres Dii, & ob propinquitatem, quam habent cum Deo, amici, ac Parentes veſtri, & nullum magis venerandum apud Deum ſimulacrum habetis, quam Antiſtitem bonum, prudentem, ſapientem, caſtum, pudicum, ſobrium, domus ſuæ benè præpoſitum, ad omnem aeream poteſtatem debellandam paratum, Fidei ſcuto munitum, ſpei galea protectum, Charitatis lorica inſignitum, gladio ſpiritus, qui eſt verbum Dei, vndiq; circumſeptum. Magnam gloriam olim ſibi compararunt Quintus Curtius Romanus, admirandus ille Athenienſium Rex Codrus, multiq. alii maximorum exercituum Duces, ac Imperatores, qui falſorum Deorum præceptis obtemperando, & pro Reipub. ſalute tutanda, augenda, ac conſeruanda vitam ipſam profundere non dubitarunt: Sed longè maiorem gloriam conſequeminī (mihi credite) obediendo Antiſtiti veſtro; eſt enim pręceptum Diuinum è Cœlo delapſum, quod tranſgredi minimè licet. Hoc humani generis Reparator, dum immortalis Deus mortali hac, fragiliq; veſte indutus inter mortales vitam degeret, quam optimè nos edocuit; nam obedientiſſimis Parentibus (teſte enim D. Luca, ſubditus erat illis) obedientiſsimus, quoad vixit, extitit filius; & (vt ait Apoſtolus) factus fuit obediens vſque ad mortem. Cœleſtia corpora motricibus Mentibus parendo hunc Mundum inferiorem conſeruant, & ſuauiſſimum efficiunt concentum, & harmoniam, quam Omnipotens Deus vſque ad conſummationem ſęculi (vt ait patientiſsimus Iob) obdormire non faciet. Elementa Cœleſtium Spherarum imperio nequaquam reſiſtunt. In compoſitis naturalibus omnia inſunt elementa, licet non ſecundum ęquales vires, ac virtutes; attamen prædominantis elementi virtuti pro compoſitorum corporum vita penitus obedire contendunt. Animalia bruta rationis vi deſtituta natura Duce hominem intelligentia decoratum virtutem hanc edocent, quam tamen nonnulli hominis nomine indigni, & beſtiis deteriores aſpernantur, & ſuperbiendo derident. Equus obedientiæ inſigne exiſtens eſt adeo ferox, tamen ea D. Iacobo in epiſt. modico fræno fit iam obediens, vt ad ſeſſoris voluntatem huc, illucq. feratur, & circumducatur. Apes ſapientię hyeroglificum ſuum agnoſcunt Regem, & incredibili proſequentes honore illi morem gerere ſtudent: at ſi inter Apes aliquæ reperiantur, quę hoc naturale imperium abhorreant, eiq; parere negligant [audite, audite naturę miraculum, auribus percipite inobedientes, ab Apibus addiſcite hanc virtutem] propriis aculeis crudeliſſimis vulneribus ſe lacerando perimunt, & propter non exhibitam Regi obedientiam ſe ipſas tandem occidunt. Imitemini Apes PP. AA. & inſtar argumentoſarum Apium Antiſtiti veſtro, qui eſt Rex veſter, obedite. Hanc virtutem, quam Deus Angelis in eorum creatione in Cœlo Empireo,

pireo, quam primis parentibus in terreſtri Paradiſo præcepit, quamq. Chriſtus actione, ac doctrina confirmauit, & opere compleuit, eligite, quam qui exercet, qui tuetur, qui ſectatur, recto itinere ad portum tendit, recto curſu ad Cœlum euolat, ad Deum it, cum Deo vnitus in amœniſsimis Paradiſi delicijs ſpatiatur; quas vt conſequantur Monachi, ſunt de Obedientia maximè ſolliciti, apud Eremitas in maximo prætio habetur, à Regularibus in maximis ponitur. Quid gratius Imperatoribus ſubditorum Obedientia? quid Regibus? quid Principibus? quid parentes à filiis magis exigunt? quid ludi Magiſtri à Diſcipulis magis exquirunt? quid peritiſsimi quiq. nauium gubernatores à nautis, vt ad optatiſsimum ſalutis portum peruenire queant, magis exoptant? quid tandem Deo carius, iucundius, & acceptius eſſe poteſt Obedientia? Noe miſeranda illa tempeſtate in Arcæ constructione Deo prçiplenri obediens id demonſtrauit; Abraham in filii immolatione oſtendit; Moyſes in Dei legatione apud Pharaonem AEgyptiorum Regem pro Iſraelitico populo ab AEgyptiaca ſeruitute liberando patefecit, cæteriq. Patriarchæ, ac Prophetę, qui præ aliis virtutibus, quibus claruerunt, hanc ſibi metipſis maximè curæ fuiſſe poſteris oſtenderunt. Vos, vos ſacri Cortonenſium Duces Patriarchis, Prophetis, antiquæ ac Moſaicæ legis Sacerdotibus [dicam] etiam Angelorum Hierarchiis nobiliores eſtis, omnes creaturas dignitate longè ſuperatis, vnoq. Creatore inferiores eſſe vobis perſuadere. Si igitur quæ vobis inferiora ſunt tanti æſtimarunt, ac æſtimant virtutem hanc naturæ ordine primam [vt audiſtis] quanto magis vos, quibus Reges, quibus Imperatores tanquam mortalibus Diis parent, quibus Angelici illi ſpiritus, abiunctæq ſubſtantiæ Cœlorum incolæ cuſtodiendo deſeruiunt, Deo, veſtroq. Antiſtiti parere debetis? Et quam Chriſtiana plebs vobis præbet obedientiam, eamdem Antiſtiti veſtro præbere ne grauemini; Eſt enim Coſmus maior maiori Coſmo (ita affirmare auſim) eſt Princeps, Dux, auriga omnium Sacerdotum, eſt Caput, & Cuſtos huius populi Corton. quem vt rectè regat, cuiq. contemplari licet, quomodo prius ſe ipſum, ſuaſq. actiones optimè regat. Obedite igitur Antiſtiti veſtro, nam Obedientia veſtra eſt huius vrbis felicitas, Cortonenſium tranquillitas, Ciuium veſtrorum pax, omnium gaudiũ, ac lætitia. Hæ A A. PP. ſunt vtilitates Obedientiæ veſtrę: Hi ſunt fructus, quos, dum hac lucis vſura fruimini, feliciſsimè percipitis; Vberiores, præſtantiores, dulcioreſq; vobis præparabuntur in poſterum perfruendi, ac poſsidendi, quos nec Principes huius mundi à vobis extorquere poterunt, nec naufragium vllum deperdet, nec latrones auferent, nec tempus corrumpet, ſed æterni erunt, immortales, nullumque finem habituri. Illa profecto Ciuitas, illud Regnũ, Imperiũ illud, in quibus populus, in quibus Ciues, in quibus Sacerdotes inobedientes

B. ſunt,

ſunt, nulla humanarũ, ac diuinarũ legũ vi, ac potẽtia coerceri poſſunt, quin ſemper in deterius tuant, ac tandem in nihilũ dilabantur. Hoc im mũdo tum ſpirituum exemplo clariſsimè patet; vt enim conditi fuerunt ex nihilo ab omnipotenti manu Dei, poſt primum inſtans creationis ſe ab incommutabili bono auerrentes, & ad mutabile bonum conuertentes, violata Obediẽtia in maximas miſerias prolapſi, a Deo æternis cruciatibus, diuina ſic exigente, ac diſponente iuſtitia, fuerunt addicti. Adam, & Aeua propter eamdem inobedientiam [heu id memoria repetere miſerrimum eſt] tot, tantiſq. fuerũt pœnis affecti, vt etiam totum hominum genus diris ſupplicijs affecerint, à quibus vos metipſos liberabitis, ſi firmiſsimæ Obedientiæ Anchora freti, Synodales has Conſtitutiones obſeruantes veſtro Antiſtiti parueritis: pro cuius incolumitate vos etiam, atq. etiam rogo AA. PP. vt cœleſtem Regem deprecemini; eſt enim oculus veſtræ Ciuitatis, quo orbato vrbs tota cœca, atraq. caligine repletur, eſt regula actionum veſtrarum, à qua vobis non eſt diſcedendum. Supereſt modò tantum Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime mi Antiſtes, cui propter tuam ſummam in me humanitatem maximè debere profiteor, & quem propter ſapientiam à Deo Optimo Maximo verè profectam, ab eodem tibi diuinitus communicatam admiror, vt ad illam inacceſsibilem lucem, ad ſplendorem illum, ad illud immenſum Diuinitatis pelagus, Diuinæ pulchritudinis abyſſum, ad illum intelligibilem Solem, à quo hic Sol ſenſibilis, cuius luce fruimur, cuius pulchritudine delectamur, cuius fœcundiſsimo motu ſumus, viuimus, & conſeruamur, quicquid lucis habet, quicquid pulchritudinis, quicquid vitę, quicquid eſſentiæ recipit, precando me conuertam, vt hunc benigniſsimum Patriæ Parentem protegat, hunc Sanctiſsimum Paſtorem conſeruet, huic meo Illuſtriſsimo Mœcenati Neſtoream vitam largiatur, illi Iuſtitiam, ac Prudentiam impertiat, his Sacerdotibus amantiſsimis commilitonibus meis in ſpirituali certamine ſtrenuè mecum pugnantibus Fortitudinem, ac Temperantiam, omnibus tandem Fidem, Spem, Charitatem, & Obedientiam aperiens manum ſuam liberaliſsimè concedat, vt in his terris tranquilla poſsimus perfrui vita ab omni malorum genere libera, & in Cœlis æternam conſequi felicitatem. Dixi.

Poſt

POſt Orationem à Domino Pręposito lecta ſunt Decreta Sacri Cõc. Trid. *Seſſ. 23. cap. 1. Cum pręcept. Seſſ. 25. cap. 2. Cogit. temp.* de Reſidentia, & de Profeſſione Fidei, quam ipſe nomine totius Synodi, & eorum, qui emittere tenebãtur, emiſit in manibus Illuſtriſsimi Epiſcopi iuxta formam traditam à Pio IV. Deinde fuerunt propoſiti Synodo, vt ab ea reciperentur in Teſtes Synodales, infraſcripti ſub huiuſmodi forma Verborum.

Vt ea, quę animaduerſione digna ſunt non lateant, neque in Curiam irrepant abuſus, & corruptelæ, placet ne vobis RR. PP. recipi in Teſtes Synodales.

## IN CIVITATE.

Admod. RR. DD.
- *Georgium Nucciarellium Archidiaconum.*
- *Nicolaum Baldellium.* } *Canonicos.*
- *Iacobum Vagnutium.* } *Canonicos.*
- *Thomam Laparellium.* } *Canonicos.*

RR. DD.
- *Octauium Vagnutium Rectorem Eccleſię S. Chriſtophori de Cortana.*
- *Guidum Orſellium Rectorem Eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ de Cortona.*

## IN DIOECESI.

RR. DD.
- *Nicolaum Baldellium Plebanum.*
- *Franciſcum Alferium Plebanum.*
- *Flaminium Cecchettum Rectorem Eccleſiæ SS. Blaſii, & Chriſtophori de Oſſaia.*
- *Lucam Partium Rectorem Eccleſiæ S. Bartholomęi Tiberinæ.*

qui conſiderent an in Vrbe, & Diœceſi ſit quod corrigi debeat, referantq. Illuſtriſsimo Epiſcopo, vel in futura Synodo emendanda proponant? Reſponderunt. *Placet.*

POſt hęc ab eodem admod. Reuerendo Pręposito lectum fuit Decretum *Seſſ. 24. cap. 18. Expedit maximè.* de eligendis Examinatoribus, qui nominati ſunt pro vt infra.

Cum in ſingulis Synodis proponi debeant Examinatores, vt à Synodo probentur, qui de vita, doctrina, moribuſq; ad Parochiales Eccleſias promouendorum, & ad Confeſsiones Sacramentales audiendas admittendorum humana affectione poſtpoſita perquirant, placet ne vobis in noſtra Diœceſi approbare, & recipere.

Admod. RR. DD.
*Euangeliſtam Laparellium Vicarium, & quemcumque alium pro tempore exiſtentem.*
*Hyeronimum Serninium Præpoſitum*
*Coſmum Paſſerinium Decanum.*
*Antonium Barbium Canonicum*
*Euangeliſtam Laparellium Canonicũ, & Theologũ*
*Ioannem Mariottum Rudolphinium Canonicum*
*Angelum Lucium Canonicum*
*Iacobum Vagnutium Canonicum*
*Franciſcum Grigiottiũ Canonicũ, & Pœnitẽtiariũ*
*Nicolaũ Puntelliũ Priorem Collegiatæ S M. Nouæ*

RR. DD.
*Octauium Vagnutium Rect. Eccleſiæ S. Chriſtophori de Cortona.*
*Flaminium Cecchettum Rectorem Eccleſiæ SS. Blaſii & Chriſtophori de Oſſaia.*

RR.
*P. Priorem S. Dominici de Cortona pro tempore exiſtentem.*
*P. Thomam Antinorium Theologum Illuſtriſſimi Epiſcopi.*
*P. Magiſtrum Eliam Ordinis Minorum Conuent. Sancti Franciſci*

Reſponderunt. *Placet.* Qui omnes iurarunt in manibus Epiſcopi.

Demum lectum eſt ab eodem Præpoſito Decretum *Seſſ. 25. cap. 10. Quoniam.* de eligendis Iudicibus cauſarum, qui ſimiliter propoſiti fuerunt, vt infra.

Iuxta Sacroſancti Concilii Decretum diſponentis eligi, & approbari viros in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, vel Cathedralium Eccleſiarum Canonicos, quibus à Sede Apoſtolica, eiuſq; Legatis cauſæ committantur, placet ne vobis RR. PP. in noſtra Diœceſi ad hoc munus obeundum deſtinari, ac deputari.

Admod. RR. DD.
*Euangeliſtam Laparellium Vicarium, & quemcumque alium pro tempore exiſtentem.*
*Hyeronimum Serninium Præpoſitum I.V.D.*
*Coſmum Paſſerinium Decanum I.V.D.*
*Euangeliſtam Laparelliũ Can. & Theologũ I.V.D.*
*Angelum Lucium Canonicum I.V.D.*
*Iacobum Vagnutium Canonicum I. V. D.*
*Franciſcum Grigiottium Canonicum, & Pœnitentiarium I.V.D.*
*Nicolaum Puntellium Priorem Collegiatæ S. Mariæ Nouæ I.V.D.*

Reſponderunt. *Placet.*

Admi-

ADminiſtratores Piorum locorum ex preſcripto Sacrorum Canonum, & Conc. Trid. *Seſſ. 22. cap. 9. Adminiſtratores.* Ordinario ſuæ adminiſtrationis rationem reddere tenentur; Placet ne vobis igitur RR. PP. deputari, qui Ordinarii nomine recipiant.

Admod. RR. DD. { *Lalium Paſſerinum Archipresbyterū*, *Antonium Barbium*, *Lazarum Anticozzium*, *Ioannem Mariottum Rudolphinium*, *Lucam Thommaſium* } Canonicos

Reſponderunt. *Placet.*

VT Doctrinam Chriſtianam quam diligentiſſimè in Ciuitate, & Diœceſi omnes doceantur, placet ne vobis RR. PP. huic muneri deputari, & præponi in Præfectos.

Admod. RR. DD. { *Ioannem Mariottum Rudolphinium.*, *Thomam Bonum* } Canonicos

In Magiſtrum *R. D. Anſanum de Berlinguccis*

In Protectorem *D. Ioannem Paulum Vagnutium?*

Reſponderunt. *Placet.*

POſt hæc, cum multū iam diei præteriiſſet, indicta eſt altera Seſſio in craſtinum, in qua commodius Decreta, & conſtitutiones Synodales proponi, diſcuti, & approbari à Synodo poſſent.

Placet ne vobis RR. PP. alteram noſtram Seſſionem futuram, tenendam, & celebrandam eſſe craſtina die, quę erit 31. præſentis Menſis Maii, in qua Synodalia Decreta legantur, diſcutiantur, & quæ approbanda fuerint à vobis approbentur, & quę reprobanda, liberè reprobentur? Reſponderunt. *Placet.*

Quo facto ſurrexit Epiſcopus, & ſolemniter omnibus benedixit, dicēs. *Sit nomen Domini benedictum &c.* more conſueto, qua data benedictione diſceſſerunt omnes.

# SECVNDA SESSIO
## SYNODI CORTONENSIS
### Habita die 31. Menſis Maii 1624.

CVM omnes Sacerdotes, & Clerici Cortonenſis Diœceſis iterum in Palatio Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Epiſcopi conueniſſent, ipſum in Eccleſiam [ vt prӕterita die ] proceſsionaliter incedentes deduxerunt : A quo Miſſa de Spiritu Sancto priuatim celebrata eſt : Qua completa Epiſcopus paratus ( vt ſupra ) proceſsit coram Altari Diacono, & Subdiacono paratis ipſum aſſociãtibus, & ibi in Faldiſtorio ante medium Altaris iuxta inferiorem gradum ſibi parato genuflexus depoſita Mitra incohauit Antiphonam, reliquaſq; Preces & Orationes habuit iuxta prӕſcriptum Põtificalis Romani. Dicto Euangelio, & Hymno *(Veni Creator Spiritus)* completo, ſedens Epiſcopus in ſede prӕdicta cum Mitra Synodum his verbis allocutus eſt.

Decreta, & Synodales conſtitutiones, quӕ heſterna die temporis anguſtia vobis legi, & proponi nequaquam potuerunt, audietis : Oramus vos itaq; Venerabiles fratres, vt, ſi cui veſtrum fortè quod dicetur, aut legetur diſplicuerit, ſine aliquo contentionis ſcrupulo corã omnibus conferat, vt quod Eccleſiӕ nobis commiſſӕ incolumitatẽ, noſtram ſollicitudinem Paſtoralem, & veſtram, Omniumq; vobis commiſſarum ſalutem proſpicit, ſtatuatur, & quod noſtra authoritate, & vnanimi omnium veſtrum conſilio decretum fuerit vos omnes obſeruetis, & à ſubditis veſtro exemplo obſeruari inuiolabiliter faciatis. Hӕc enim Decreta ſpeculum veſtrum erunt, quibus Paſtores, an Mercenarii, & an Fures ſitis, & voſmetipſi agnoſcetis, & ab aliis agnoſcemini : Si vobis Paſtores eſſe ſpeculum hoc oſtenderit, gaudium veſtrum magnum ſit, quia merces veſtra copioſa erit in Cœlis : Si Mercenarios, timor & tremor veniat ſuper vos, quia periculum veſtrum grande eſt in Terris : Si Fures eſſe demonſtrauerit, ingemiſcite, quia locus veſter magnus erit in tenebris, niſi properaueritis ad pœnitentiam, & quӕ vouiſtis Domino Deo veſtro dignè reddideritis, vos maximè, qui in circuitu Domini eſtis, & in conſpectu eius

aſſertis

aſſertis munera, & aſſertis non corruptibilium auri, & argenti, ſed pretioſi Corporis, & Sanguinis Agni immaculati. Conſiderare quantam dignitatem vobis contulerit Deus, quanta ſit prærogatiua ordinis veſtri, prætulit enim vos Deus Regibus, & Principibus, prętulit ordinem veſtrum omnibus ordinibus, imò (vt altius loquar) prætulit vos Angelis, & Archangelis, Thronis, & Dominationibus. Tanquam boni Paſtores igitur in omni labore villicationis veſtræ quęretis nō quæ veſtra ſunt, ſed quę Ieſu Chriſti: hæc autem in his Synodalibus Conſtitutionibus ceu in ſpeculo perſpicietis, in quarum obſeruatione die, ac nocte meditantes dabitis fructus veſtros in tempore, & quęcumq. feceritis prosperabuntur.

## *Oratio habita in ſecunda Seſsione à Ioſepho Mazolio Sacerdote Corton. I. V. D.*

INter cętera, quæ ab Illuſtriſsimo Reuerendiſsimoque Antiſtite noſtro ore tenus mihi demandata fuerē, vnum hoc ſingulare, ac præcipuum fuit, vt apud Corythanum Clerum hodierno die grauiſsimis de rebus verba facerem: quanquam & temporis breuitate, & argumenti præſtantia, & timore correptus eorum, qui intra proprios parietes, & priuatos lares nimium ſibi ſapere videntur, deterrebar. fretus tamen veſtra præſentia, qua omnes proſequimini humanitate, & mirum in modum allectus à veſtra Eccleſiaſtica religione, ad hanc dicendi prouinciam haud inuitus, ac timens, ſed libens, & alacer acceſsi. Nam cum ſingulos veſtrûm intueor, atq. adeo hunc præclariſsimum conſeſſum, non Corythi antiquiſſimam ſedem, non AEtruſcorum olim vnicam Imperatricem, ſed Cœlum ipſum cum ſuis Syderibus, & mundum ipſum cum ſuis ornamentis mihi videre videor. Quod ſic intima pracordia recreat, ſic mentem extollit, ſic animum inflammat, vt non libenter duntaxat ad munus hoc obeundum attrahi, ſed vehementer impelli, accendi, ac inflammari me ſenſerim: & quoniam me, & ſi non pereruditum, ſaltem eruditionis amatorem iudicaſtis, ideo magis, ac magis libenter hoc tempore noſtris Comitiis in hunc ſplendidiſsimum locum, in quem non niſi exquiſitę virtutis viri aſcendunt, & in quem heri Flaminium Cecchettum virum omni ſtudiorum genere diſertiſsimum & aſcendentem vidiſtis, ac miro quodam dicendi lepore, & vbertate præditum benignè audiſtis, aſcendere non ſum veritus. Igitur, cùm ea ſit in præſentia morum, temporumq. conditio, vt vix nūc aliquod purum, ac ſanctum exiſtat, quod homines ab aureo virtutis

tutis fulgore degeneres non polluant, vix religioſum, quod non violent, vix adeo horribile, nefandumq. facinus, quo ſe contaminare non audeant, hinc eſt, ne ſe penitus in lubricas vitiorum ſemitas immittant, aut in periculo poſiti omnino corruant, quod nouis quotidie legibus coercentur: Sed tamen adhuc non cumulatè huic morbo mortalium conſultum eſt, quo circa in dies medelæ ſunt adhibendæ, ne late ſerpens omnium ſcelerum virus maiora incrementa ſuſcipiat. Itaq. huic rei multi vbiq. probatæ virtutis viri præficiuntur, quorum opera, atq. induſtria ſingulorum in vnum quaſi congeſta locum ad procurandam Ciuitatis ſalutem impendantur. Præclarè id quidem, ac ſapienter; etenim tantos inde mortalium generi fructus, tanta emolumenta, vbertatem tantam bonorum omnium videmus affluere, quantam mea dicendi tenuitate aſſequi non poſſum. Certè huiuſmodi virorum cętus dum timore pęnarum mortales à vitiis deterret, labem animorum è medio tollit, ac publicum illis bellum indicit, dum Ciuium ſaluti conſulit, vulnera inueſtigat, iiſq. medetur, vt vitia perpetua obliuionis nocte obruta ſint, aliam repente vt videas faciem Ciuitatis, ac alios mores in Ciuibus admireris. Quamobrem mihi nunc (vt animaduertere facilè poteritis vos ò Cleri, ſeu potius Cœli Corton. lumina) Comitiorum vtilitas aditum aperuit ampliſſimum ad veſtrum iſtum conuentum, & animorum conſpirationem in Cœlum laudibus efferendam, quę tota in ſacrarum rerum perfectione, in emendandis, corrigendiſq. aliorum erratis, demum in noua, ſalutari, religioſaq. viuendi ratione perquirenda verſatur. Habvnt quidem (vt inde incipiam) benè magnam copiã vtilitatum, & commodorum ſapientum virorum in vnum collecta conſilia, ſtudiaq. quin etiam fructibus vbertim abundant, vt inde plurimum ex ipſis in Ciuitatibus emolumenti contiuet. Felicem eam Reipub. conſtitutionem appellabat Socrates, in qua Pręfecti, apud quos eſt eiuſdem Reip. adminiſtrandæ cura, ſocietate iunguntur; nam (vt illa diuina Platonis ſententia viget. Qui Reipub. præſunt totum corpus Reip. curent, ne partem aliquã deſerant, reliquas dum tuentur) eſt illa profectò felix Reſp. quæ multorum ſapientum hominum conſiliis nititur; etenim quemadmodum à Scopulorum inſidiis Nauis illa ſeruatur incolumis, quæ peritos habet ad Clauum in Puppi ſedentes gubernatores, qui imminentes tempeſtatum impetus longè prævideant, ſic eſt ab hoſtilis incurſionis metu ſecura Ciuitas illa, ad cuius cuſtodiã in præaltis complures ſcopulis perpetuò excubant: eſt beata tandem, & felix, quæ multos habet ęquos in forenſi diſceptatione Iudices, prudentes, ac fortes in puluere Imperatores, in egeſtate Parentes induſtrios. Aud. præſtantiſſimi Quis beatam non dicet hanc noſtram religioſam Nauem?

quis

quis felicem non iudicabit hanc noſtram ſpiritualem rempub. quæ talem, ac tantum habet Imperatorem, cum quo nec ſuos Græcia Themiſtocles, nec Carthago Annibales, nec Roma Pompeios conferant. Tu Præſul Illuſtriſſime iure merito huic reip. imperas, tu faſtigium attollis, tu familiæ decus, Ciuitatis honos. Vos PP. Canonica dignitate fulgentes, ac DD. maxima humilitate colendi, voſq; viri Aud. admodum RR. & nos quotquot in ſortem Domini vocati ſumus, contendere debemus vniuerſi illius freti exemplo, qui (vt bene dixit dulcis Orator ille) ſacræ Purpuræ decus, & ornamentum Eccleſiaſtici ordinis fuit, ſplendor inſolitus, nouum Sydus Eccleſiæ Carolus Borromeus, qui tantum vineam Domini cuſtodiuit, & gregem ſibi creditum, quantum nos optare debemus. Quod cum ita ſit, quantam modò felicitatem Ciuitati afferre veſtrum hunc conuentum iudicabo? in quo ſalus Ciuium, vera libertas animorum, virtutum omnium ſplendor, morum integritas, eorum præſertim, quos, quando flere, vel compungi par eſſet, & ridere, & nugari non pudet, procuratur, atq; eo magis has veſtras conſultationes aliis excellere pronunciabo, quo auguſtiorem Diuinæ virtutis præſentia conſeſſum hunc aſpicimus. Legimus in ſacrarum litterarum oraculis præclaram illam, ac auream Chriſti Domini vocem, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, medius ego ſum; nimirum adfuturum ſe Chriſtus pollicetur iis, qui ad bonum aliquod, piumq. facinus procul à turba ſemoti conueniunt. An ergo noſtræ huic Synodo Dei ſpiritum adeſſe dubitamus, ad quam vos omnes alacres ad prouehendum animorum bonum concurritis? & quid nam aliud inueniemus, quod vel conferri cum hoc aut magnitudine, aut dignitate queat? Siquidem [ex diuina Dionyſii ſententia] omniũ diuinorum diuiniſſimum eſt cooperare operam cum Deo in ſalutem animarum. Quantum illud eſt eodem in munere eſſe collegam Dei? qui cum propter hominum ſalutem è Cœlo in terras venerit, eamq. tot annos inter mortales, quaſi vnus ex eis, peregerit, gaudet nunc ſui laboris vos habere participes, gaudet ita peculiariter adeſſe, qui conſulunt eorumdẽ ſaluti, quibus ipſe proprio quondam ſanguine voluit eſſe conſultũ. Iam verò par eſt, vt ingens ex huiuſmodi Synodo commodorũ vbertas vniuerſis ferè dicam latè nationibus affluat, quando ibi Chriſtum Dominum noſtrum aſtitiſſe eiuſdem voce conuicti fatemur. Non poteſt connexus, & Synodus illa maximè mortalibus vtilis non eſſe, cui benignus interſit, qui bona cuncta mortalibus elargitur. Quantum [Deum immortalem) Chriſtianæ Reipub. veteres illæ, ac Pontificiæ Synodi profuere? quantas tempeſtates Hæreticorum ſedauere? dicant Lutherus, Eraſmus, Caluinus cum recentioribus, vel Hæreticis, vel Hæreſiarchis, qui proximè à ſacra Tridentina Synodo

damnati

damnati fuerè. Quantam peccandi licentiam repreſſerè? quando nullus integritati locus remanſerat, quando (vt doctiſsimus Gregorius de Valentia refert) ipſi etiam Laici, atq. infimæ ſortis homines ad ſacroſancta cæteris adminiſtranda ſibi licentiam ſumpſerè impudentiſsimè; quando à neſcio quibus neſcientibus Deum, nec ſacrum à prophano diſcernentibus in facie Eccleſiæ, inter canendum Diuinas Odes, aſtantibus Angelis, in conſpectu ipſius Dei viuentis, & videntis ſacra prophanis miſcebantur non ſine riſu, ſed deplorando. Neq. minus fructuoſi cenſendi ſunt hoc tempore conuentus hi Sacerdotum, licet *Dei* beneficio neque Ethnicorum hoſtiles impetus, neq. clandeſtinas Hæreticorum inſidias timeamus; multa enim in dies in Chriſti corpore enaſcuntur vulnera, quibus adhibere medicinam noſtrum opus eſt, & procuratio; propterea quod nunquam Vulpecularum illarum copia deeſt, quæ (vt in ſacro Epithalamio dinina Poeta cecinit) Vineam Domini demoliuntur. Has amoliri ſummo conatu noſtrum eſt, Virtutumq. agmina aduerſus impetum ruentis in peius ætatis opponere debemus PP. nimirum Religionem, Charitatem, Pietatem, at non illam, qua Patriam, & Parentes colimus, ſed innocentiam dico, & ſanctitatem, qua vitæ noſtræ benè conſulimus, & proximorum. Hoc vt faciamus, ornatiſsima illa, & grauiſsima Sacræ Trid. Synodi verba nos præmonent. Nihil eſt (inquit) quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſsiduè inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe Diuino miniſterio dedicarunt; nam nulla res eſt, quę magis conferat animorum incolumitati, quam Sacerdotum exempla, ſanctiq. mores. Recordemini Aud. quid moralis ille Seneca ſcriptum reliquit. referam ipſe. Breue iter per præcepta; breue, & efficax per exempla. Verba aureo quidem atramento inſcribenda, quæ illa antiquorum Sinagogæ Sacerdotum pręcepta redarguunt, qui dum dicebant, breue iter quidem; at non efficax, dum non faciebant, oſtendebant: ideo non ab re magnus ille Gregorius Paſtorem bonum ad imitaodum magnis à Deo precibus quærendum eſſe affirmauit. O præclarum animarum noſtrarum munus! ò inæſtimabile virę mortalium bonum! O Corythanę Ciuitatis lumen, ac propugnaculum! Te non precibus noſtris, ſed immenſa ęterni Creatoris miſericordia aſſequuti ſumus Paſtorem ſanctum ad imitandum, cui ad illa ſemper virentia Cœli paſcua gregem tibi creditum tecum ducere datum eſt. Ingemiſcite Aud. pro eo, qui [vt culpa cubeat vultus eius] facinoroſæ vitæ exemplo (non enim Parochos excipio) proprias oues [proh inæſtimabile damnum] ſecum rapit ad ęternos Inferni cruciatus, factus (vt ei minatus eſt Ezechiel) domui Iſrael in offendiculum iniquitatis. At ſentio me longius prouectum, quam propoſita oratio poſtulat: Da igitur veniam Illuſtriſ-

ſime

ſime Antiſtes, ignoſcite PP. AA. ſi veſtras ornatiſsimas aures meis inornatiſsimis verbis diutius ſum commoratus; nam finem faciam dicendi. Et vt ex hac noſtra conſultatione Populo vniuerſo fructum afferamus ſalutarem, qui nobis laudem, honorem, decus, immortalitatem, & gloriam conferre poſsit, æquitatem illam, qua patienter omnia feramus, & ſanctitatem, qua Populo Dei ſalutares eſſe, ac Deo placere, Deumq. placare poſsimus, reſtituamus: vt ex ea poſtea, non ſecus ac Solis acceſſum Aurora mortalibus manifeſtat, vitę noſtrę ſanctitas Corythano populo proximum Diuinæ gratiæ auxilium nunciet; vt æternas malorum pœnas fugiat, Pœnitentiam ſectetur, Cœlum ſuſpiciat, ſi ſpiritualem Remp. PP. perpetuò ſaluam, ſi Dei cultum non ſolum ſeruate, ſed etiam amplificare, ſi dignitatem noſtrem tutam conſeruare volumus; & Ieſus Chriſtus (vt Apoſtolus ait) ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus Paradiſi gaudia nus introire concedet æterna. Supereſt modò, vt meam ipſe fortunam, vel timeam, vel admirer, quod ſcilicet me vnum, qui vos omnes audire debueram, ex editiſsimo loco dicere voluiſtis, credo, vt negligentiam, tarditatemq. meam, non ingenii veſtri acumeo celeritatemq. extimularetis: faciam igitur, vt opera ipſa mea loquantur ſilentio, animumq; meum veſtro deuinctum beneficio io obſeruantia Illuſtriſsimi, ac Reuerendiſsimi Domini mei, veſtrùmq. omnium beneuolentia factis, non dictis oſtendam.

## Poſt Orationem lecta ſunt Decreta Synodi.

# CONSTITVTIONES, ET DECRETA SYNODI CORTONENSIS ANNI MDCXXIIII.

*De Fide Catholica Romana, & de iis, quæ ad eam tuendam, & propagandam pertinent. Cap. I.*

VT ſancta, & catholica Fides, quam Romana ſemper Eccleſia docuit, virtutum omnium fundamentum, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, pura, & illibata conſeruetur, quemadmodum ſacra Cortonenſis Synodus ſe agnoſcere, fateri, & perpetuò retenturam profitetur, mandamus omnibus, & quibuſcumq. qui deinceps ad Beneficium, ſeu dignitatem quamcumq. promouebuntur, vt publicam Fidei profeſsionem in manibus Illuſtriſsimi Epiſcopi, ſiue eius Vicarii Generalis, antequam collationem, ſeu inſtitutionem ſuſcipiant, emittant iuxta conſtitutionem fęlicis recordationis Pii Quar et incipientem. *Iniunctum nobis Apoſtolicę ſeruitutis officium &c.* Dignitates, & Canonici inſuper teneantur, antequam poſſeſsio, & Stallum in Choro eis aſsignetur, prędictam in Capitulo profeſsionem emittere. Qui ſecus fecerint acriter arbitrio Illuſtriſsimi puniantur, & decem aureorum pœnam Collator, Inſtitutor, Capitulum, Notarius, & ipſi de Beneficiis prouiſi incurrent irremiſsibiliter Monaſteriia noſtrę Diœcaſis arbitrio Illuſtriſsimi Epiſcopi applicandam.

### *De Doctrina Chriſtiana, & erudimentis fidei pueris tradendis.* Cap. II.

MAndamus quibuſcumq. Parochis curam animarum habentibus, & præcipue Curatis Cathedralis Eccleſiæ noſtræ, & Plebanis Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ, vt per ſe, ſeu per eorum Vicarios Chriſtianam doctrinam ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Roberto Cardinali Bellarmino editam quolibet die Dominico pueros, & reliquos ſubditos, qui diſtinctè ea, quæ credenda ſunt, ignorant, doceant ſub pœna, ſi per Menſem ab huiuſmodi munere defecerint, decem aureorum; ſi per alterum Menſem, viginti quinque; ſi per totum tertium Menſem, ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficio ipſo iure incurrent. Et ſi in viſitatione per Illuſtriſsimum Epiſcopum, ſeu eius Vicarium habenda ſaltem quolibet biennio reperientur pueri, vel viri, ſeu mulieres ignorantes ea, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, & dicto Illuſtriſsimo ſummariè conſtiterit, per Parochos ſtetiſſe, quo minus fuerint edocti, acriter ipſi Parochi punientur vſque ad priuationem Eccleſiarum, & Beneficiorum incluſiuè; cum valde nobis cauendum ſit, ne in noſtra Diœceſi verificetur illud, Paruuli petebant panem, nec erat qui frangeret eis. Nos autem vehementer ſtimulat ad hanc Parochorum negligentiam quibuſcumq. pœnis coercendam communis Theologorum doctrina *D. Th. ſecunda ſecundæ q. 2. art. 5. 7. & 8.* non poſſe Chriſti Fideles, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, abſque fide explicita Sanctiſsimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Ieſu Chriſti, Seruatoris, Iudicis, ac Glorificatoris noſtri ſaluos eſſe.

In Monaſteriis quoque Monialium curent Præfectæ, vt adoleſcentulæ doceantur à Senioribus Chriſtianam doctrinam; non parentes arbitrariè punientur.

Canonici, qui ſunt præfecti à nobis docendæ doctrinæ Chriſtianæ, poſſint cogere quibuſcumq. pœnis Clericos in ſacris conſtitutos ad ipſam docendam in Eccleſia Cathedrali, vel in Confraternitate Sanctiſsimi D. N. Ieſu Chriſti. Præterea mandamus, vt omnes prouiſi in poſterum de Beneficiis curatis in Fidei profeſſione ad hæc ſeruanda iuramento ſe ſe obſtringant.

Si quis ſacra ſcriptura, ad prophana, ſcurrilia, & iocoſa vſus fuerit, vel in contrarios ſenſus verba eius detorſerit ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Laicus fuerit pœna carceris, & pecuniaria arbitrio Illuſtriſsimi infligenda punietur.

### *De Prædicatione Verbi Dei*. Cap. III.

OMnes Parochi teneantur ſingulis Feſtis diebus per ſe ipſos populo prædicare, & quid in Euangelio contineatur declarare cum breuitate, & facilitate ſermonis: Ones ſibi commiſſas ad virtutes ſectandas hortentur, & vitia fugienda: Si ſecus fecerint, grauiter arbitrio Illuſtriſsimi Epiſcopi multabuntur.

Nullus Regularis audeat ſub pœna Suſpenſionis ipſo facto incurrendę prędicare in Eccleſiis etiam ſui ordinis, niſi à ſuis Superioribus approbationem, & concionandi licentiam habeat, & benedictionem ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, ſeu eius Vicario receperit: In Eccleſiis verò non ſui ordinis pręter ſuorum Superiorum licentiam obtinere etiam ab Illuſtriſsimo Epiſcopo facultatem debeat.

Seculares Sacerdotes, qui prædicandi facultatem ab Illuſtriſsimo Epiſcopo in hac Diœceſi impetrare voluerint, prius in manibus eius, aut Vicarii Generalis publicam fidei profeſsionem faciant, nec aliter concionandi facultas detur.

Prędicatio Paſsionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti in die Paraſceue non incipiatur niſi luceſcente die, in eaq. fideles ad arcanum illud Myſterium recolendum, deplorandamq. pro nobis à Chriſto Mortem obitam non geſtu, aut aliquo alio inconſulto modo, ſed Scripturæ Sacrę ſententiis, Sanctorum Patrum dictis, & rationibus alliciantur.

Mandamus nè Laici vlli audeant in Confraternitatibus ſuis prædicare, ſeu ſermocinari, niſi prius ab Ordinario licentiam habuerint.

### *De cultu, & veneratione Sanctorum, de eorum Reliquiis, & Sacris Imaginibus.* Cap. IIII.

NVllus audeat Reliquias, vel de nouo pictas Imagines in Eccleſiis adorandas, vel inſpiciendas proponere, niſi habita licentia ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, vel eius Vicario, qui ante an Reliquiæ veræ, & an Imagines decenter, & honeſtè depictæ fuerint, diligenter exquirant. Inobedientes pœna decem aureorum, & amiſsione Reliquiarum, & Tabularum puniantur.

Nullus ſub pœna excommunicationis noua miracula effingat, ipſaq. populo publicare præſumat, niſi prius ab Ordinario rei veritas fuerit inſpecta: nè vera pro falſis publicentur, & verorum miraculorum fidei fraudibus, vel ſimplicitatibus officiatur.

De

## *De Libris Prohibitis. Cap. V.*

SI quis ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Secularis vtriuſq. ſexus, & cuiuſcumq. conditionis libros prohibitos apud ſe retinere preſumpſerit, ſciat ſe ab Illuſtriſsimo Epiſcopo poſt quindecim dies à publicatione huius Synodi fore excommunicandum, & pœna amiſsionis Librorum, & aliis arbitraria plectendum.

## *De Sortilegiis, Diuinationibus, Maleficiis, & Superſtitionibus. Cap. VI.*

NVllus audeat cuiuſcumq. gradus, aut ſexus, aut conditionis exiſtat in poſterum verbis, nodis, cantionibus, caracteribus, ſignis, ligaturis, aut alio quocumq. modo maleficam, ſortilegam, veneficam, aut aliá quamcumq. ſimilem ſuperſtitionibus plenam, & perpetuò damnandam artem profiteri, colere, docere, per ſe, vel per alium exercere, ſiue pro depellenda febre, ſiue pro ſanguine ſiſtendo, aliouè quouis morbo fugando, aut valetudine recuperanda etiam animalium; ſiue ad res deperditas, vel furto ablatas recuperandas, theſauros inueniendos, ſiue pro alio quocumq. negociorum genere, etiam ſit ſpecie, & apparentia licito, nè dum malo, aut per ſe prohibito, licet in huiuſmodi ſortilegiis, & ſuperſtitionibus verba Sacræ Scripturæ, aut Orationes, & alia Sacra adhibeantur, quę omnia ſancta Synodus vt impia, & ſacrilega deteſtatur prohibens, & mandans quibuſcumq; nè deinceps talia exercere audeāt ſub pœna carceris, ac quinquagīta aureorum, dimidium delatori, reliquum piis locis applicando arbitrio Illuſtriſsimi Epiſcopi; & qui non habebit in ære, luet corpore arbitrio dicti Illuſtriſsimi.

## *De Blaſphemiis. Cap. VII.*

HOrrendum Blaſphemiæ crimen cupiens Sancta Synodus penitus ab ore fidelium amouere præcipit, & mandat contra Sacrilegos tam Eccleſiaſticos, quam Seculares conſtitutionem Leonis X. in Lateranenſi Concilio editam, & à Pio V. confirmatam, & auctam omninò obſeruari, & pœnas in dicta conſtitutione contentas irremiſſibiliter irrogari.

De

### *De Hæreticis, & impiis hominibus.* Cap. VIII.

MAndat ſancta Synodus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna maledictionis æternæ quibuſcumq. Eccleſiarum Rectoribus curam animarum habentibus, vt denuncient Illuſtriſſimo Epiſcopo, vel Reuerendiſſimo Patri Inquiſitori Generali Florentino, ſi qui forſan in eorum Parochiis (quod Deus auertat) reperirentur qui dictis, aut factis Catholicæ, & orthodoxæ fidei aduerſos ſeſe oſtenderent, vel impietatem præſeferrent, quiq. ſacras cęrimonias, & eccleſiaſticos ritus irriderent, Eccleſię præceptis non obtemperarent, ſemel in anno Pœnitentiæ, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenta non reciperent, & feſtis diebus ſacro non intereſſent, vetitos cibos abſque neceſsitate vetitis diebus ſumerent; declarans etiam per ſecretam denunciationem dicto Illuſtriſsimo faciendam huic precepto, ac mandato ſatisfactum fore.

### *De feſtorum dierum cultu, & obſeruantia.* Cap. IX.

MAndamus omnibus Sacerdotibus curam animarum habentibus, vt ſæpius ſuos ſubditos moneant, vt diebus feſtis Eccleſiæ præcepto ſeruandis ab omni ſeruili opere ſe abſtineant, & ſoli Deo, eiuſq. cultui vacent, ac præſertim Miſſę ſacrificio interſint; & inſuper doceant Patresfamilias non poſſe abſq; peccati mortalis culpa prohibere quin famuli, paſtores, filiæ, & filii dicto ſacrificio adſint, cum ad ſeptem annos peruenerint, immo ſub eadem culpa conteneri ad Eccleſiam illos dictis diebus mittere, neque illa ſoni conſuetudine excuſari: quin potius ſperent ab Omnipotenti Deo largius ſe rerum copia remunerandos, ſi in eum cogitatum ſuum iacerent, & in obſeruantia mandatorum eius die, ac nocte inuigilent. Si qui autem huic ſanctæ Synodi precepto non obtemperauerint, eorum nomina Illuſtriſsimo Ordinario quam primùm dicti Parochi denuncient.

In diebus feſtis nullus audeat merces venales publicè proponere, neq. in illis aliquid vendatur, aut ematur præter ea, quę ſunt ad victum neceſſaria; & ad hoc cuiuſcumq. generis duæ Officinæ, ſiue Apothecę permittantur quolibet menſe, quę poſſint Aromata, ſiue alia ægrotantium ſaluti neceſſaria, ſiue carnes, & cætera obſonia licitè vendere à Vicario Generali deputandæ, & quolibet menſe alias ſubſtituendo, donec omnes prædicta immunitate gaudeant, cæteræ verò clauſæ permaneant ſub pœna duorum aureorum Monaſteriis pauperum Monialium applicanda.

Cęteri verò, qui abſq. licentia, & vrgenti neceſsitate aliquod ſeruile opus in dictis diebus publicè exercuerint pro qualitate perſonæ, & delicti grauiter punientur.

*Feſta, quæ in Urbe, & Diœceſi Cortonenſi omnes venerari debent, & Parochi populis colenda præcipere ſunt hæc.*

Omnes Dies Dominici totius anni.

MENSE IANVARII.

1 Circumciſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.
6 Epiphania Domini.
17 S. Antonij Abbatis.
22 S. Vincentij Mart. Patroni noſtri.

MENSE FEBRVARII.

2 Purificatio B. M. V.
22 B. Margharitę de Cortona.
24 S. Matthiæ Apoſt: anno vero biſſextili. 25. Vig. Ieiu.

MENSE MARTII.

25 Annunciatio B. M. V. Ieiu.

MENSE APRILIS.

25 S. Marci Euang.

MENSE MAII.

1 SS. Philippi & Iacobi Apoſtolorum.
3 Inuentio S. Crucis.

MENSE IVNII.

12 B. Guidonis in Ciuitate tantùm.
24 Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ. Vig. Ieiu.
29 SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. Vig. Ieiu.

MENSE IVLII.

25 S. Iacobi Apoſt. Vig. Ieiu.

MENSE AVGVSTI.

10 S. Laurentij Mart. Vig. Ieiu.
15 Aſſumptio B. M. V. Vig. Ieiu.
24 S. Bartholomæi Apoſt. Vig. Ieiu.

MENSE SEPTEMBRIS.

8 Natiuitas B. M. V.
21 S. Matthæi Apoſt. & Euag. Vig. Ieiu.
29 S. Michaelis Archangeli.

MENSE OCTOBRIS.

4 S. Franciſci conf.
28 SS. Simonis & Iudę Apoſtolorum. Vig. Ieiu.

## MENSE NOVEMBRIS.

1 Feſtum omnium Sanctorum. Vig. Ieiu.
11 S. Martini Epiſc. & conſ.
30 S. Andreę Apoſt. Vig. Ieiu.

## MENSE DECEMBRIS.

8 Conceptio B. M. V.
21 S. Thomæ Apoſt. Vig. Ieiu.
25 Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vig. Ieiu.
26 S. Stephani Protomart.
27 S. Ioannis Apoſt. & Euang.

Dies Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum duobus diebus immediatè ſequentibus.
Aſcenſio eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Pentecoſtes cum duobus diebus immediatè ſequentibus. Vig. Ieiu.
Feſtum Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

Non ſolum in dictis diebus feſtis prohibemus ſeruilia opera exerceri, ſed etiam mandamus omnes Iudiciales actus, Curiarumq. ſtrepitus ſilere, nulloſq. contractus celebrari prçterquam vltimę voluntatis, & ad pias cauſas, ſub pœna trium aureorum Notariis infligenda.

### *De Sacramentis, & eorum adminiſtratione.* Cap. X.

CVm Sacramenta non ſolum ſine lethali culpa, ſed etiam ſine Simonię labe, & auaritiæ ſuſpicione præbenda ſint, mandat ſancta Synodus in virtute ſanctæ obedientię, nè Sacerdotes tam Seculares quam Regulares quidquam in adminiſtratione Sacramẽti Pœnitentię, & aliorum Sacramentorum recipiant, cum ſacroſancta myſteria, quæ gratis acceperunt, gratis etiam tribuere debeant.

Quilibet Parochus habeat nouum Rituale felicis recordationis Pauli Quinti Pont. Max. iuſſu editum, & ab eo nunquam diſcedat in ritu, & cærimoniis, Sacramentorum adminiſtratione, & aliis Eccleſiaſticis functionibus. Qui illud intra Menſem non habuerit à die publicationis huius conſtitutionis, & iuxta illud aliquam functionem deditâ opera non exercuerit ipſo facto ſuſpenſus ſit, à qua Suſpenſione non poſsit, niſi ab Illuſtriſsimo Epiſcopo abſolui.

Plebani ſingulis annis Olea ſacra ab Epiſcopo recenter confecta ex Eccleſia Cathedrali accipiant, & ea diſtribuant reliquis Eccleſiis ſibi ſubiectis, & de manu ſui Plebani quilibet inferior Sacerdos recipere ſub pœna arbitraria teneatur, illaq. à quolibet in decentibus vaſculis conſeruentur, clauibus claudantur, nè à prophanis manibus attractari Sacra, nec in ſacrilegos vſus Sacramenta ab impiis adhiberi poſſint.

De

157

Si quis Sacramenta ad alios vſus conuerterit, quam ad eos, ad quos à Chriſto, & ab Eccleſia inſtituta ſunt, etiam ſub prætextu medicinę, ſi Sacerdos fuerit, aut Clericus Sacris initiatus, ſit ipſo iure ab officio ſtatim ſuſpenſus, & beneficijs, & redditibus omnibus Eccleſiaſticis priuetur; Secularis autem carceri tradetur acriter iuxta delicti grauitatem puniendus.

Vaſa, quibus ſacra Olea aſſeruantur ſint argantea, vel ſtamnea tantùm, cum litteris, quæ Oleum intus incluſum oſtendant. Qui ſecus fecerit duorum aureorum pœnā incurrat, quæ ſtatim his Vaſis conficiendis applicatur.

### *De Sacramento Baptiſmi. Cap. XI.*

VNuſquiſq; Sacerdos curatus Plebanus, ſiue inferior (vt ſupra mandatum eſt) Rituale Rom. habeat Pauli V. iuſſu impreſſum, illudq. attentè perlegat, vt plenè, quæ ad ritè Baptiſmi Sacramentum conferendum pertinent, percipiat, & alios in Eccleſia publicè formam, materiam, & intentionem ad Baptiſmum neceſſaria docere valeat, præſertim Obſtetrices, quibus ſub excommunicationis pœna, quam ſtatim incurrant, interdicimus, ne obſtetricandi munus exerceant, niſi licentiam à proprio Parocho impetrauerint, qui dare tantùm illi teneatur, quæ verè materiam, formam, & intentionem ad Baptiſmum neceſſaria ab ipſo, vel ab alio perfectè didicerit, vt infantibus, de quorum vita periculum ſit, cœleſtem illum Theſaurum tradere poſſit.

Singuli Plebani Librum apud ſe retineant, in quo diligēter nomen Baptizati, baptizatiq. Parentum deſcribant, & eorum ſiue virorum, ſiue mulierum, qui baptizatum è Sacro fonte ſuſceperint; doceantq. dicti Parochi quam cognationem inter ſe contraxerint, & cui obligationi ſe erga infantes ſuſceptos adſtrinxerint.

Matres, & omnes aliæ mulieres infantulos ſecum in lectulis non retineant abſq. Caſſula, niſi integrum annum expleuerint ſub pœna excommunicationis.

Sacerdotes omnes cuiuſcumq. Plebaniæ in die Sabbati Sancti ad aquā Baptiſmatis renouandam conueniant in Eccleſia, vbi fons Baptiſmatis habetur: Qui verò non obtenta licentia ab ipſo Plebano in ſcriptis non adfuerit, pœnam decem aureorū incurrat, eamdemq. pœnā contrahat qui omiſſa propria Plebania ad aliam ſe contulerit

### *De Sacramento Confirmationis.* *Cap. XII.*

SIngnli Parochi noſtrę Diœceſis teneantur ſaltem quolibet anno in duobns feſtis diebus præcedentibus Dominicam Penteco ſtes monere omnes, & ſingulos ſuæ curæ ſubiectos, vt filios ſeptennio maiores, qui Sacramentum Confirmationis nondum receperint, in noſtra Cathedrali Eccleſia Illuſtriſsimo Epiſcopo confirmandos offerant. Preterea moneant adultos, qui ſe nondum Sanctum illud Sacramentum recepiſſe pro explorato habeant, vt ad illud percipiendum quamprimum accedant: & duo tantum ſint ex Canonicis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, qui pro Patrinis Confirmandorum omnium adhibeantur, itdemq. ſint, quibus docendę Chriſtianæ doctrinę cura à nobis demandata eſt.

Inſuper mandamus, vt adulti priuſquam huiuſmodi Sacramentum recipiant, peccatorum ſuorum Confeſſionem, & ſanctiſsimæ Euchariſtię perceptionem pręmittant, vt fructum vbetiorem, & Spiritus Sancti dona conſequantur. Volumus vt Parochi omnes in Libro omnium Confirmatorum nomina quam diligentiſsimè perſcribant: Qui ſecus fecerint, pœnam trium aureorum præmiis Doctrinam Chriſtianam addiſcentium applicandam incurrant.

### *De auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.* *Cap. XIII.*

SAnctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, quo nihil ſanctius, & auguſtius in terris reperitur, in vaſis argenteis intus deauratis aſſeruetur in Eccleſia, in maiori, vel alio pulchriori Sacello, & ante ipſius Altare lumen die, noctuq. colluceat: Claues à Sacerdote maxima cum cura retineantur, nulliq. tradantur: Species Sacramentales octauo quoq. die renouentur: Infirmis autem, vbi commodè viarum ſitu fieri poteſt, ſub Vmbella, & cum quatuor ſaltem accenſis Intorticiis deferatur; in anguſtioribus verò, & pręruptis locis à Sacerdote Argenteo vaſculo incluſum collo geſtetur, vno ſaltem comite ante ipſum accenſam deferente Laternam; & niſi neceſsitas vrgeat, Campanula Confraternitates Laicorum, & populum conuocet, vt quam honorificentiſsimè, & ſumma cum reuerentia Sacroſanctum Domini corpus circumferatur.

Omnes vtriuſq. ſexus Chriſti fideles ſacram Euchariſtiam ſemel ſaltem in anno ſuſcipiant, iuxta Canonicas ſanctiones, præmiſſa omnium peccatorum ſuorum Sacramentali Confeſsione. Quamobrem mandamus omnibus Parochis, cæteriſq. Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus curam animarum habentibus, vt quam maxima poſſunt diligentia curent, nè Oues ipſorum cœleſti hoc pabulo careant,

careant; immò vehementer eas admoneant, vt non ſolum in Paſchate Reſurrectionis Domini Noſtri, ſed etiam in ſolemnioribus diebus Diuino hoc cibo ſe recreent; qui verò ſalutis ſuæ immemores ad cœleſte Conuiuium accedere, & Eccleſiæ præcepto parere neglexerint, Illuſtriſsimo Epiſcopo, vel eius Vicario generali à Parocho denuncientur, vt contra eos iuxta Canonicas ſanctiones procedatur. Parochi in re tam graui negligentia acriter arbitrio Ordinarii punientur.

Parochi, qui publicos Peccatores ad Euchariſtiæ Sacramentum admiſerint, vel quorum culpa aliquis in eorum Parochia abſque Sacramētis deceſſerit, tamdiu ab Officio, & Beneficio ſuſpendantur, quamdiu Ordinario videbitur.

Parentes omnes moneant Parochi, vt filios ſeptennio maiores ad Eccleſiam deducant, vt peccatorum ſuorum proprio Parocho Confeſſionem faciant; illoſq. tardius, citiuſuè, pro vt vſus rationis eorum exegerit, Parochus, vel proprius Confeſſarius ad Euchariſtię perceptionem admittat.

Sub Interdicti pœna prohibemus, nè vllibi Quadraginta horarum ſupplicationes habeantur ſine expreſſa Ordinarii licentia, & vt ſolum in Eccleſia Parochiali Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum Quinta Feria Maioris Hebdomadæ aſſeruetur, exceptis locis, quibus id fuerit Apoſtolica authoritate conceſſum.

*De Sacramento Pœnitentiæ.* *Cap. XIIII.*

REuocamus, & caſſamus omnes, & ſingulas facultates audiendi Sacramentales Confeſſiones conceſſas à Prædeceſſoribus Illuſtriſsimi Epiſcopi quibuſcumq. Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus, confirmantes tantum illas facultates, quę ab Illuſtriſsimo præſenti Epiſcopo, vel eius Vicario prævio examine conceſſæ ſunt.

Confeſſarii, qui verbo, vel ſigno accepta, vel audita in Sacramentali Confeſſione alteri manifeſtauerint, ſint ipſo iure perpetuo ab audiendis Confeſsionibus ſuſpenſi, & aliis Canonicis pœnis puniantur.

Quilibet Confeſſarius tam Secularis, quā Regularis aliquam Summam habeat domi Latino, vel Italico ſermone conſcriptam, & hæc ſit Cardinalis Toleti, vel D. Nauarię, & inſuper habeat Bullam Cœnæ Domini, & Indicem Caſuum reſeruatorum, qui ſunt, vt infra.

Hæreſis etiam occulta.

Publica Blaſphemia.

Sortilegia, & genus omne Incantationum.

Medicamenta, in quibus Sacramenta, aut Sacramentalia, aut certus, & determinatus numerus *Pater*, & *Aue Maria*, aut verborum Sacræ Scripturæ adhibetur contra morem, &

D 2 vſum

vſum à Romana Eccleſia doctum, & permiſſum.

Reſtitutio rei alienę, cuius neſcitur Dominus, ſi valorem trium aureorum excedat, quæ reſtituenda eſt pauperibus Chriſti arbitrio Ordinarii, non Confeſſarii.

Falſum teſtimonium in Iudicio contra aliquem prolatum.

Homicidium voluntarium, vel mutilatio membri.

Peccatum contra Naturam, ſcilicet Beſtialitas, & Sodomia.

Inceſtus in linea recta in omnibus gradibus; in linea tranſuerſali vſque ad ſecundum gradum incluſiuè.

Stuprum.

Adulterium, ex quo pœnitens ſciat ſe ſuſcepiſſe prolem.

*De Sacramento extremę Vnctionis* *Cap. XV.*

PLebani (vt ſupra quoque mandatum eſt) à noſtra Cathedrali Eccleſia Oleū infirmorum recipiant; inferiores Curati à Plebano, vetuſq. ſtatim ac nouum receperint, comburant, atq. in Sacrario combuſtio ipſa recondatur.

*De Sacramento Matrimonii.* *Cap. XVI.*

MAndamus, vt omnes Sponſi, & Sponſæ, niſi poſt Sacramentalem Confeſsionem, & Euchariſtiæ ſumptionem, Matrimonii Sacramentum nequaquam contrahant.

Quilibet Parochus in Eccleſia coram tribus, vel duobus teſtibus Sponſam, & Sponſum in Matrimonio coniungat, & in Libro (quem penes ſe diligenter cuſtodiat) Sponſi, & Sponſę, & duorum ſaltem Teſtium nomina deſcribat iuxta pręſcriptum Sacroſancti Conc. Trid *Seſſ.* 24. *cap.* 1. & Ritualis Romani formam. Qui ſecus fecerit, vel in aliquo erraſſe deprehenſus fuerit, per annum à Beneficio, & Officio ſuſpendatur.

Nuptialis benedictio ſecundis Nuptiis minimè tribuatur, & vbi in noſtra Diœceſi conſuetudo eſt, vt Virgo Viduo nupta benedicatur, omninò obſeruetur: ſed Viduis mulieribus nubentibus numquam Benedictionis beneficium impendatur.

Sponſalia, & Matrimonia omni tempore contrahi poſſunt, ſed eorum ſolemnitates, vt Nuptias benedicere, Sponſam cum pompa traducere, ac nuptialia exibere conuiuia prohibitæ ſunt à Dominica prima Aduentus vſque ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum vſq. ad octauam Paſchæ incluſiuè.

Cum Parochus aliquod compererit impedimentum, quo Matrimoniū contrahi impediatur, vel contractum dirimatur, Ordinarium, vel

eius

eius Vicarium Generalem adeat, à quo quid ei faciendũ ſit doceatur. Spadones, & Eunuchi vtroq. teſticulo carentes natura, vel arte omninò eſſe Matrimonio inhabiles, & Matrimonia per eos contracta irrita, & nulla eſſe Sacroſancta Synodus declarat iuxta declarationem Xiſti V. Pont. Max. anno 1587. die 27. Iunii Pontificatus ſui anno III.

## De Sacramento Ordinis, Cap. XVII.

Promouendi ad ſingulos maiores Ordines à proprio Parocho ter per menſem ante Ordinationem habendam publicè in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia proponantur in Dominica, vel alia ex Eccleſiæ præcepto obſeruanda die, qui exquiret à populo, an Ordinandus aliquod habeat impedimẽtum, quod ſuſceptionem illius Ordinis impediat, mandabitq. vt quicumq. illud ſciuerit, ſibi quamprimum reuelet. Inquiret autem an Ordinandus legitimis natalibus ortus ſit, an ætatem ad ſuſceptionem cuiuſcumq. Ordinis neceſſariam habeat (hęc autem eſt in Subdiaconatu cùm vigeſimum ſecundum, in Diaconatu cùm vigeſimum tertium, in Sacerdotio cùm vigeſimum quintum annum attigerit) an publicè aliquod graue peccatum commiſerit, an homicida, an percuſſor, an ſeditioſus, an ſimoniacus, an bigamus, an infamia iuris, aut facti laboret, an Curię alicui propter delictum ſit obnoxius, an de Hęreſi ſuſpectus, an publicam Pœnitentiã egerit, an piè & honeſtè conuerſatus ſit: Si autem ad Patrimonii titulum ordinatur, an Patrimonium ſit ſufficiens, & an ipſe verè, & non fictè poſsideat: quæ omnia cum publicè populo expoſuerit, & nullum illi delatum fuerit impedimentum, atteſtationem harum denunciationum propria manu ſubſcriptam Ordinario, vel eius Vicario tranſmittat. Sin autem aliquod apparuerit impedimentum, illud quoque quamprimum Ordinario denunciet, qui, vt in Domino nouerit expedire, ſtatuet. Sine huiuſmodi Parochi atteſtatione nullus deinceps ad Sacrum Ordinem admittatur, & litterę, vt poſsit ab alio Epiſcopo promoueri, non concedantur.

Ad titulum Patrimonii deinceps nullus ordinetur, niſi ob manifeſtam Eccleſiæ neceſsitatem: Patrimonium autem ſufficiens habere quis intelligatur, ſi bona valoris ſexcentorum aureorum poſsidere propriè authenticis documentis probetur.

Nullus ad Sacros Ordines promoueatur, & nulli litterę, vt ab alio Antiſtite promoueri poſsit, concedantur, niſi prius rigoroſo examini coram Ordinario, vel eius Vicario per quatuor ſaltem ex Synodalibus examinatoribus habendo ſeſe ſubiecerit, & niſi fidem habuerit à Magiſtro ſe Muſicæ, & Eccleſiaſtico cantui operam dediſſe.

Ad Minores Ordines promouendi bonum à Parocho, & à Magiſtro

ſcholæ

bi ad vnguem obſeruentur, nulliq. de recenti Sacerdoti celebrandā primam Miſſam facultas concedatur, niſi prius omnes cærimonias, & ritus optimè ſe didiciſſe magiſtro Cærimoniarum Illuſtriſsimi Epiſcopi oſtanderit, qui quidem magiſter certiorem reddat Ordinariū ſuis literis, vel Ordinarii generalem Vicarium poſſe dictum Sacerdotem rectè Sacroſanctum illud Sacrificium celabrare, cuius teſtimonio gratis facultas celebrandi concedatur.

Ad Altare Sacrum facturus [coram quo aſtantes Angeli contremiſcunt, & humiliter adorant] nullus audeat Pileolis, vel Subirrectis caput operire, ſed ſtatim ac gradus Altaris aſcenderit omne tegumentum capiti detrahat: alitar facientes pœna arbitraria puniantur.

Sacerdotes celebraturi veſtes Talares habeant, Annulos manibus non geſtent, Tonſuramq; ferant conſpicuam, & decentem, Piloſq. ſuperioris Labri adeò braues, & inciſos, vt Christi ſanguinem ebibentes, in eum nullo pacto eos intingant.

Sacerdotes, quibus certus, ac præfinitus numerus Miſſarum eelebrandus eſt, teneantur Librum habere, in quo ſingulę Miſſæ, quę ab illis celabratę fuerint, adnotentur, & ſingulis annis Ordinarium certiorem debeant reddere ſe iniunctis oneribus ſatisfeciſſe; alias ſi negligentes in hoc reperti fuerint, quinq. aureorum pœna quilibet mulctabitur pauperum Clericorum vſibus applicanda, qui Miſſas quinquaginta pro benefactoribus Eccleſiæ, cuius Sacerdos negligens fuerit, celebrare in eadem Eccleſia obligentur.

Sacardotibus peregrinantibus Secularibus, vel Regularibus licentia celebrandi in noſtra Diœceſi non concedatur, niſi ſuorum Ordinariorum litteras teſtimoniales habeant, & præter ipſas ſint etiam à duobus ſaltem piis, & honeſtis viris noſtræ Diœceſis cogniti, exceptis Regularibus, qui à Reuerendo Superiore Eccleſiæ, vel Conuentus noſtræ Diœceſis facultatem habuerint. Qui abſque licentia celebrauerit Carceri tradatur.

Nullus Sacerdos poſſit Miſſas celebrare, niſi habeat Miſſale iuſſu Pii V. editum, & correctum, non lacerum, nec atritum, ſed colligatum & perfectum. Qui illud non habuerit, & infra duos Menſes à die publicationis huius Synodi non emerit, pœna decem Librarum dicti Miſſalis emptioni ſtatim applicanda multetur.

Eadem pœna multetur Clericus in Sacris conſtitutus, vel Beneficiatus, qui Breuiarium nouum Clemantis VIII. iuſſu recognitum non habuerit.

Qui Calice, cuius Cuppa, & Pathena argentea, & intus deaurata non ſit, vel qui fracto, & non integro Calice, quo Sanguis effuſus ſit, vel effundi poſſit, celebrauerit, pœna quatuor aureorum puniatur Sacris Vaſis comparandis, vel reſarciendis inſumenda.

Eadem

Eadem pœna afficiatur qui minori, quam trium Mapparum numero, vel abſq. Amictu, Alba, Stola, Manipulo, Cingulo, Caſula, vel iis laceris, & diſruptis, vel non coloris pro tempore requiſiti, Purificatoriis, Pallis, & Corporalibus non mundis, & duabus Candelis non accenſis, vel ſuper Altare execratum, in quo Sigillum fractum, vel loco amotum fuerit, Miſſam celebrauerit. Pœna ſacris Veſtibus eidem Eccleſiæ comparandis applicetur.

*De loco, & tempore Miſſas celebrandi.* Cap. XX.

NVllus audeat Secolaris, vel Regularis Sacerdos Miſſas celebrare niſi in Eccleſiis, aut in priuatis Oratoriis, quæ fuerint ab Illuſtriſſimo Epiſcopo approbata, & benedicta, & in quibus fuerit licentia conceſſa celebrandi; & in iis nullum Parochiale munus exerceatur ſub pœna Suſpenſionis à Sacro faciendo, quam ipſo facto incurrant.

In Eccleſiis Monialium abſq. proprii Confeſſarii, vel Vicarii Generalis licentia nullus ſeu Secularis, ſeu Regularis Sacerdos Miſſam celebrare præſumat. Qui ſecus fecerit, grauiter arbitrio Ordinarii puniëtur.

In Confraternitatibus Laicorum tam Vrbanis, quam Ruralibus, & in Oratoriis priuatis quibuſcumq. locis exiſtentibus Feria Sexta, & Sabbato Maioris Hebdomadæ, Miſſæ, & Diuina Officia manè non celebrentur ſub pœna Interdicti abſq. licentia Epiſcopi, vel eius Vicarii Generalis, niſi ad hoc Apoſtolicum priuilegium obtinuerint.

Miſſæ Sacrum neq. ante Auroram, neq. poſt Meridiem, niſi ea priuilegio Apoſtolico, fiat.

Nullus Sacerdos curatus Vrbanus, ſiue Ruralis audeat ſub pœna Suſpenſionis à Diuinis, quam ipſo facto incurrat, Officiaturam aliquam, ſiue onus celebrandi Miſſam ſuſcipere extra propriam Eccleſiam, exceptis iis, qui fuerint ab Illuſtriſsimo Epiſcopo Monaſteriis Monialium deputati.

Feria Quinta Maioris Hebdomadæ poſsint tres priuatæ Miſſæ celebrari in Cathedrali Eccleſia ob commoditatem confluentis populi: in reliquis verò Eccleſiis vna tantùm celebretur. Feria vero Sexta, & Sabbato eiuſdem Hebdomadę vna tantùm Miſſa tam in Cathedrali, quam in omnibus aliis Eccleſiis dicatur.

Miſſæ votiuæ non niſi diebus Ferialibus dicantur, & Miſſarum celebratio officio diei, & Miſſalis Rubricis concordet, ſub pœna arbitrii ei imponenda, qui abſq. rationabili cauſa à prædictis Rubricis diſceſſerit: vt hoc pacto abuſus, qui nimis inualuit Miſſas currentes omittendi, & alias ad libitum celebrandi è tota noſtra Diœceſi, ſed præſertim ex Eccleſiis Monialium penitus extirpetur.

Nullus

Nullus Sacerdos plures tribus, vel ad ſummum quinque, rarò ſeptem Orationes ſacrificando dicat, niſi quando aliud ritus Eccleſiaſticus poſtulat, quæ non ſecundum cuiuſcumq. voluntatem dicantur, ſed prout Miſſalis noui Rubricæ, & Regulę à ſancta Romana Eccleſia confirmatę depoſcunt.

Miſſę votiuæ, vel Anniuerſaria Defunctorum in Ruralibus Eccleſiis diebus Dominicis, & Feſtis non celebrentur ſub pœna arbitrii.

Presbyteri Rurales, quibus animarum cura commiſſa eſt, diebus Eccleſiæ præcepto obſeruandis propriam Eccleſiam non deſerant, nec ad aliam Sacra facturi ſeſe conferant, ſub pœna Suſpenſionis à Sacro faciendo per annum, à qua nō poſſint niſi ab Illuſtriſſimo Epiſcopo abſolui; niſi proprium Vicarium Sacerdotem habuerint, qui pro ipſis celebrare poſſit, vel Miſſam relinquant, vt commodè audiri queat vel ad aliquam Eccleſiam ſuæ Plebaniæ acceſſerint cauſa Feſtiuitatis non diſtantem à propria niſi per mille paſſuum, vel circiter, & nullum flumen impediat, quin poſſint ſui Parochiani cum ipſis ad eandem Eccleſiam accedere Sacrum audituri.

Miſſę, & Officia ex deuotione Fidelium non celebrentur in tota Diœceſi diebus Dominicis, & aliis ex Eccleſiæ præcepto obſeruandis, ſed in aliis diebus, ne Sacerdotes extra propriam Eccleſiam vagandi occaſionem habeant.

Nullus Sacerdos Secularis, ſiue Regularis ſub pœnis Simoniacis à Sacris Canonibus inflictis audeat aliquid pro celebranda Miſſa efflagitare, vel de mercede recipienda pactum inire: ſed quod ei pro ſuſtentatione, & eleemoſina datur, vt ſponte datum recipiat, caueatq. ne in grauem animę ſuę iacturam pro vna Miſſa plura recipiat ſtipendia.

Monemus, & per viſcera Domini Noſtri Ieſu Chriſti hortamur Laicos omnes tam Vrbanos, quam Rurales noſtræ Iuriſdictioni ſubiectos, vt ea, qua decet reuerētia, & modeſtia Sacroſancto Sacrificio aſsiſtant, collocutionibus, omnibuſq. aliis actibus abſtineant, qui oculos Diuinę Maieſtatis offendere poſſunt, & aliis ſimul aſtantibus ſcandala præbere; meminerintq. in illa incruenta Ara non Tauros, aut Vitulos, ſed immaculatum illum Agnum offerri, qui Dei filius, Rex, Sacerdos, & Iudex noſter eſt, quiq. olim ſemel in Ara Crucis immolatus nos proprio ſanguine redemit, & à poteſtate Diaboli erutos tranſtulit in ſpem viuam, & in Regnum, & in adoptionem filiorum Dei: pro quo ingenti beneficio tenemur ingentes gratias agere Deo Patri, qui nos ſaluos facere dignatus eſt per Ieſum Chriſtum filium ſuum. Quæ ſi animo ſecum agitauerint, ſperamus nullū fore, qui maximo cum tremore, ac reuerentia Sacroſancto huic myſterio, ac beneficio recolendo non interſit. Qui aliter fecerit Diuinis, & Canonicis pœnis coercebitur.

*De pertinentibus ad Diuina Officia, & Proceſſiones.* Cap. XXI.

OMnibus in Choro exiſtentibus, quandò Diuina Officia dicuntur à collocutionibus non neceſſariis præcipimus abſtinere, ac mente reuoluere hortamur, quæ vel alii, vel ipſimet pſallendo dixerint, omninò etiam prohibentes cuiuſcumq. generis Muſicam laſciuum quid, vel impurum referentes.

In publicis ſupplicationibus, quæ vulgò Proceſſiones vocantur, Laici veſte propriæ Confraternitatis induti modeſtè, ac religioſè procedant, rixis, & collocutionibus abſtineant, nullaq. arma offenſiua ſecum deferant. In ſupplicationibus, quæ nocte fiunt nullæ mulieres accedant, ſed domi ſeſe contineant: in diurnis mulieres à viris ſeparatę incedant, & hoc tam in Vrbe, quam in tota Diœceſi locum habere volumus.

Nullæ ſupplicationes de nouo tam in Ciuitate, quam extra inſtitui poſſint ex quacumq; cauſa abſq. Illuſtriſsimi Ordinarii licentia.

Populus alicuius Eccleſię Ruralis proceſsionaliter non incedat, niſi proprium Parochum ſecum habeat Superpelliceo, & Stola indutum, & mulieres à viris ſint diſtinctæ.

Quando Capitulum noſtrę Cathedralis Eccleſiæ ad aliquam Eccleſiā Clericorum tam Secularium, quam Regularium proceſſionaliter acceſſerit, omnes Clerici dictæ Eccleſię ad valuas illud excipiant, ac debito cum honore deducant. Qui ſecus fecerint, ſi Seculares ſint, pœnam decem aureorum pauperibus applicandam incurrant, Si Regulares, Eccleſiaſtico ſubiaceant Interdicto.

Omnes Clerici tam Seculares, quam Regulares, & omnes Confraternitates Laicorum teneantur non ſolum in die Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſed etiam in quibuſcumq. ſupplicationibus de mandato Ordinarii intereſſe. Eorum, qui parere noluerint, Eccleſiæ, & Oratoria Eccleſiaſtico ſubiacebunt Interdicto.

Lites, & diſſenſiones omnes cauſa præcedentię, vel alterius cuiuſcumq. rei ſummariè, & extraiudicialiter à ſolo Ordinario cognoſcantur, & ſtatim decidantur.

In die Corporis Domini Sacerdotes Rurales non accedant ad Vrbem, niſi Miſſam in propria Eccleſia celebrauerint; vel ſaltem in vnaquaq. Plebania Sacerdos vnus remanſerit, qui Miſſam in Eccleſia Plebis celebret, vbi populus totius Plebatus Sacro audiendo poſſit intereſſe: Idq. in præcedenti Dominica à proprio Parocho inter Miſſarum ſolemnia populo publicetur. Quoad cęteros Sacerdotes, in illo tantum die, vt Sanctiſsimum Sacramentum maiori cum pompa deferatur, pœnam ſupra à nobis *Cap.* 20. §. *Presbyteri* non celebranti in propria Eccleſia inflictam ſuſpendimus.

In

 167

In ſupplicationibus, Rogationum nullus Ruralis Sacerdos ad Ciuitatem accedat, ſed in propria Parochia cum populo ſibi commiſſo ſupplicationes die Aſcenſionis habeat.

## *De Beneficiorum Eccleſiaſticorum Collatione.* Cap. XXII.

Cùm maxima animarum pernicie indigni ad regimen Eccleſiarum aſſumantur, mandat Sancta Synodus, vt ſi qui à Patronis Laicis indigni, & inhabiles præſententur, omninò reiiciantur, neq. illis inſtitutio vllatenus concedatur.

Nulli ad Beneficia Eccleſiaſtica cum cura admittãtur, niſi à quatuor ſaltem Examinatoribus in hac Synodo conſtitutis rigoroſè examinati fuerint, & ſecreto ſcrutinio per tria eorum fauorabilia vota idonei reperti, & renunciati fuerint.

Mandamus ſub excõmunicationis pœna, quam ipſo facto incurrant, omnibus Patronis laicis, ne aliquid pro præſentatione, ſeu nominatione accipiant etiam ſponte oblatum à Clericis, vel à quouis alio ad hoc, vt aliquem ad Beneficia ſui Iurispatronatus præſentent, vel nominent, Suſpenſionis pœna multantes Clericos, qui muneribus, aut minis Patronos Laicos, vt ſe præſentent, vel nominent, impulerint.

Clerici poſtquam Beneficium cum cura, vel ſine cura obtinuerint, Inuentarium omnium bonorum mobilium, & immobilium conficiant, illudq. intra Menſem Cancellario Curiç Epiſcopalis ad hoc deputato tranſmittant, qui illud in Librum ad hoc ſelectum referri curet, & Inuentarium Clerici manu ſubſcriptum inter alia Curiæ monimenta maxima diligentia cuſtodiat. Clericus, & Notarius, qui ſecus fecerint, pœna quinq. aureorum multentur.

## *De Reſidentia.* Cap. XXIII.

Nihil eſt, quod vehementius à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs Prælatis, & Paſtoribus curam animarum habentibus inculcetur, ac ſeuerius pręcipiatur, quam perſonalem in propria Diœceſi, vel Parochia reſidentiam facere, cum Paſtoralia munera, ſcilicet Oues ſuas agnoſcere, pro illis Sacrificium offerre, Verbi Diuini pręedicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omniũ operum exemplo paſcere, miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, nequaquam ab eo præſtari poſſint, qui Mercenarij more propriis Ouibus relictis ad varia negocia incumbit: Mandat igitur Sancta Synodus omnibus Prępoſitis, Plebanis, Prioribus, Rectoribus, Vicariis, & quibuſcumq. alijs Presbyteris curam habentibus animarum ſub pœna arbitrij, nè audeant abſq. Speciali Illuſtriſs.

mi licentia in ſcriptis obtinenda, manu dicti Illuſtriſsimi, vel eius Vicarii Generalis ſubſcripta extra fines propriæ Parochię duos continuos dies, ac noctes abeſſe, dictęq. facultates, ac licentiæ à dicto Illuſtriſsimo, vel eius Vicario conceſſę ex rationabili cauſa adnotentur in libro, vt ſine vrgenti neceſsitate, ac euidenti Eccleſię, vel Diœceſis vtilitate, ac Chriſtiana Charitate non concedantur; & tempus Bimeſtre à Sacroſancta Trid. Synodo præfinitum quolibet anno non excedatur: Qui verò ſuę ſalutis immemor à ſua Eccleſia per ſpatium duorum Menſium ſiue continuum, ſiue interruptum abſuerit, contra eum, tanquam contra non reſidentem pœnis à Conc. Trid. non reſidentibus comminatis procedatur.

Mandamus omnibus Clericis beneficiatis noſtræ Diœceſis, vt infra ſex Menſes à die publicationis huius Synodi deferant Cancellariæ Illuſtriſsimi Epiſcopi indicem quorumcumq. bonorum mobilium, & immobilium cum ſuis confinibus, & pertinentiis vniuerſis, quę nomine ſuarum Eccleſiarum, vel Beneficiorum poſſideant ſub pœna arbitrii.

Mandamus omnibus Plebanis, vt quolibet anno per totam octauam Pentecoſtes Ordinario, vel eius Vicario litteras teſtimoniales tranſmittant, quæ ſtatum omnium Eccleſiarum intra fines ſuæ Plebaniæ conſiſtentium edoceant: an Rectores dictarum Eccleſiarum perſonalem faciant reſidentiam, an caſtè, & ſanctè viuant, an choreas, & ludos euitent, an ſine armis incedant, an rixis, venationibus, & illicitis negotiationibus abſtineant, & demum an Clerici omnes intra fines ſuę Plebaniæ degentes ea, qua decet modeſtia, & pietate vitam ducant. Qui negligens fuerit, vel aliquid malitioſè, & ex odio factum effinxerit, grauiter pro negligentia, vel delicti qualitate ab Ordinario punietur, & pœnam quinque aureorum ſoluet pauperibus ſuę Plebaniæ applicandam.

*De vita, & Honeſtate Clericorum. Cap. XXIIII.*

CVret Illuſtriſsimus Epiſcopus cum duobus à Capitulo, & duobus à Clero eligendis, vt Seminarium Clericorum, opus neceſſarium Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinendæ iuxta præſcriptum Concilii Trid. quamprimum in noſtra Diœceſi erigatur.

Cum non ſolum malum omne, ſed quicquid etiam mali ſpeciem habet à Clericis fugiendum ſit, hortatur Sancta Synodus in Domino, vt tandem exiſtiment ſe factos cum Apoſtolo ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus, & ita vitam, moreſq. ſuos componere ſtudeant, vt habitu, geſtu, ſermone, aliiſq. omnibus nil niſi graue, moderatum, ac pietate plenum præſeferãt, leuia etiam delicta, quę in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis venerationem afferant, & ex illis ſumant, quod imitentur.

Clerici

169

Clerici omnes in habitu, & Tonſura incedant. Qui noctu in Ciuitate, vel Diœceſi cum ſeculari habitu repertus fuerit, vel cum habitu abſq. lumine in Ciuitate Luna nō luceſcente poſt ſonū publicæ Campanę, decem aureorū pœnā ſoluat arbitrio Illuſtriſs. Epiſcopi applicandā.

In domibus fœminas non ſuſpectas, & quę quinquageſimum annum expleuerint, detineant; Qui ſecus fecerit, pœnis à Sacris Canon. & Trid. Concilio inflictis puniatur.

Clerici in Sacris conſtituti, qui abſq. licentia Ordinarii, vel eius Vicarii Monaſteria Monialium adierint, per duos Menſes à Sacro faciendo ſuſpendantur: Minores verò Clerici per dictum tempus Carcere includantur.

Exceptis Cultellis, ad domeſticum vitæ vſum accommodatis nullum genus armorum portent Clerici, cum eorum arma ſint lacrimæ, & orationes: Qui autem æneas Fiſtulas deferre pręſumpſerit, centum aureorum pœnam ſoluat pro prima vice, pro ſecunda ducentorum aureorum, & per annum Carceri mancipetur; pro tertia Beneficiis omnibus, & redditibus Eccleſiaſticis priuatus exiſtat; Cœtera verò arma offenſiua, vel defenſiua ad propriam tutandam vitam illi tantùm Clerici noſtræ Diœceſis poſsint deferre, quibus ex iuſta, & rationabili cauſa ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, vel eius Vicario Generali facultas in ſcriptis concedetur.

Clericus, qui cum aliquo Clerico, vel Laico gladio decertauerit, quinquaginta aureorum pœnam ſoluet. Qui cauſa fuerit, vt Laici inter ſeſe manus conſeruerint, vel conſilium, arma, aut fauorem pręſtiterit, eadem pœna multetur.

Clericus, qui alicui membrum mutilauerit, aut (quod Deus auertat) vitam ferro, vel aliquo alio modo abſtulerit, Canonicis pœnis multetur, vſq. ad ſententiam depoſitionis, & ad actualem degradationem incluſiuè.

Clerici, qui alios Clericos, vel Laicos manu, lapide, vel baculo percuſſerint, vel iniurioſis verbis publicè offenderint, decem aureorum pœnam incurrant pauperum Monialium Monaſteriis applicandam.

Clerici cum Laicis in Tabernis, & Cellis vinariis compotationibus nō vacent. Inobedientes grauiter arbitrio Illuſtriſsimi punientur.

Clericus in Sacris conſtitutus, qui cum muliere ſoluta rem habuerit, vel ſuſpectam, & inhoneſtam mulierem domi retinuerit, vel domi ipſius cum ea repertus fuerit, decem aureorum pœnam incurrat, & per Menſem à Sacro faciendo ſuſpendatur: Si verò cum Virgine rem habuiſſe cōuictus fuerit, pręter à Sacro faciendo Suſpenſionem, quinquaginta aureis illam dotare teneatur, & viginti aureorum pœnam incurrat pauperibus Puellis dotandis applicandam: Si verò coniugatam, & honeſtam fœminam corruperit, vel Puellæ vim intulerit,

ceotum

centū aureos honeſtis Puellis dotandis ſoluat,& per annum Carcere includatur,& puellam violatā inſuper,vt ſupra,dotare teneatur. Qui verò Adulterio atrociora delicta commiſerit, vel cum filia ſpirituali, vel propria Parochiana, vel cuius Confeſſionem Sacramentalem audiuerit inhoneſtum commercium habuerit, centum aureos pauperibus Puellis dotandis ſoluat, & à Sacro faciendo, & Confeſſionibus audiendis perpetuò ſuſpendatur, & Beneficiis omnibus ipſo iure priuatus exiſtat.

Cùm nugæ inter Seculares in ore Sacerdotis ſint Blaſphemiæ, vt ait D. Bernardus, prohibemus Clericis omnibus, nè ipſi in Comediis recitent, neuè Comediis, Ludis, Choreiſq. Laicorum interſint. Aliter facientes arbitrio illuſtriſsimi Ordinarii puniantur.

Clerici in Ciuitate veſtes Talares deferant, præſertim in Sacris conſtituti, & Calceamenta nigra, & Caligas, vel ex Pellibus, aut ſi Laneas vel Sericas, ſint Nigri, aut ſaltem Violacei coloris. Qui Rubeas, vel Virides, vel Croceas, vel Cæruleas, aut ſimiles detulerit, pœnam quatuor aureorum ſoluat.

## *De Confraternitatibus Laicorum.* Cap. XXV.

ADuigilent Gubernatores, cæteriq. Confraternitatum Rectores, vt Conciones, Sermoneſq. à piis tantùm, & grauibus viris habeantur, de rebus Moralibus, & piis exhortationibus ad vitia fugienda, & virtutes ſectandas; Theologicas verò quæſtiones, & arcanos Scripturæ ſenſus explicare non audeant.

Camerarij, & cæteri, qui redditũum, vel prouentuum dictarum Confraternitatum Laicorum curam gerunt, eos fideliter, & diligenter (vt ſperamus) adminiſtrent; & quolibet anno per totum Menſem Iunij Canonicis, & piis viris in hac Synodo deputatis, qui Ordinario referant; ſciant ſe rationem reddituros.

Volumus in omnibus Confraternitatibus Laicorum Inuentarium quarumcumq. mobilium, & immobilium rerum confici, illudq. Camerarium, vel alium Officialem [cuius curæ incumbat cuſtodire bona dictæ Confraternitatis] propria manu ſubſcriptum ſucceſſori tradere, & ſic deinceps ſingulos ſingulis, vt noua Inuentaria cum veteribus conferri poſsint, & ſic prouideri, nè aliquid ex ſacra Supellectili depereat.

Plebani, & Curati Rurales omnes moneant Ordinarium, ſi fortè Laici Confraternitatum in ſuis Parochiis conſiſtentium non ſatisfaciant piis Legatis, & iniunctis oneribus, vt ad hoc quibuſcumq. remediis cogi, & compelli poſsint.

Item mandamus in virtute Sanctæ obedientiæ, vt per totum Menſem

Octo-

Octobris proximè futuri ſinguli Rectores Confraternitatum Laicorum tam Vrbanarum, quam Ruralium Ordinario, vel Cancellario ipſius mittant Indicem omnium piorum Legatorum, & onerum, quibus ſatisfacere tenentur, vt diligens cura poſsit haberi quolibet anno, an vnaqueq. Confraternitas iniuncta ſibi onera adimpleuerit.

*De Studio Caſuum Conſcientiarum à Clericis frequentando. Cap. XXVI.*

Volumus, vt omnes Clerici tam Seculares, quam Regulares, & præcipuè curam animarum habentes, & qui ſacras Confeſſiones audiendi facultatem habent in Ciuitate degentes, vel extra eam mille paſſuum tantùm procul habitantes, ſingulis diebus (quibus habenda erit) lectioni caſuum interſint, quæ legetur ab admodum Reuerendo P. Thoma Antinorio Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Theologo, in proprio Cœnobio. Qui verò abſq; vrgenti cauſa per tres continuos dies abfuerint, vnum aureum ſoluent, & Clericis tam Secularibus, quam Regularibus, qui vel ad Sacras Confeſſiones admitti, vel Sacris initiari voluerint, vel ad altiorem gradum aſcendere, abſq; fide, qua certior reddatur Ordinarius dictos Clericos ad huiuſmodi ſtudium incubuiſſe, nequaquam facultas concedetur, neq; ad altiorem gradum aditus patebit, aut ad concurſum alicuius Beneficij curati abſq; dicta fide.

Sacerdotes, & Clerici inferiores vniuſcuiuſq; Plebaniæ ſemel ſaltem quolibet Menſe poſt Prandium die Dominico, & poſtquam Chriſtianam doctrinam Laicos edocuerint, conueniant omnes in ædibus ſui Plebani, ibiq; ſermones habeant de rebus ad officium eorum pertinentibus; & de caſibus conſcientiæ: & ſi qua difficultas proponatur, quæ inſoluta, ac ab ipſis in huiuſmodi colloquijs non benè diſcuſſa, ac declarata videatur, à Plebano litteris Illuſtriſſimo Epiſcopo, vel eius admod: Reuerendo Theologo diſſoluenda proponatur. Qui verò diſſenſionem, vel turbas aliquas in huiuſmodi congreſſu excitauerit, acriter arbitrio Ordinarij punietur.

*De Monialibus. Cap. XXVII.*

Curet Illuſtriſſimus Antiſtes, vt infra ſex Menſes à die publicationis præſentis Synodi auditis Monialibus, & eorum Operarijs, & negociorum geſtoribus, vnicuiq. Monaſterio numerus Monialium aſsignetur iuxta facultates Monaſterij, quas nunc verè, & deductis expenſis poſsideat.

Mandat Sancta Synodus omnibus Abbatiſsis, Prioriſsis, cæteriſq. Monaſteriorum Præfectis, vt, cùm Puellæ ætatem duodecim annorum expleue-

pieuerint, & ſe habitu Religionis indui petierint, iterum non obſtante prima acceptatione ante dictam ętatem facta, ſecretis votis capitulariter illas eligant, & ſi reprobatæ fuerint (quod intelligitur, cùm duas tertias partes votorum totius Capituli non obtinuerint) illas domum remittant, reſtituto eis prius quicquid nomine dotis, vel donationis antea receperant.

Puellæ antequam habitum Religionis ſuſcipiant, non incumbant ad ludos, neque ad Choreas, ſed omnibus ſecularibus negociis alienæ ſoli Deo, cui perpetuò ſunt nupturæ, vacent.

Puellæ non prius habitu Religionis induantur, quam duodecim annos expleuerint, nec niſi poſt decimum ſextum completum ad profeſsionem admittantur.

Nulla Puella ad habitum, nec ad profeſsionem admittatur, niſi prius diligenter fuerit ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, vel eius Vicario Generali, vel ab aliquo Canonico de eorum mandato de libera eius voluntate, & de aliis requiſitis interrogata, & examinata; qui quidem examinatores tam in habitu ſuſcipiendo, quam in profeſsione emittanda teneantur explorate voluntatis Puellę fidem in ſcriptis facere, quæ à Priorißa vniuſcuiuſq. Monaſterii diligenter in libro aliquo aſſeruetur.

Nulla bonorum renunciatio à Nouitiis fiat, niſi iuxta Trid. Concilii præſcriptum, ſcilicet intra duos Menſes ante diem Profeſsionis, & de licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarii; aliter facta nulla ſit. Dies, annuſq. quo facta eſt profeſsio adnotetur in libro ad hunc vſum parato adhibita publici Notarii fide.

Cum primùm audierit Prefecta, vel Abbatiſſa Monaſterii aliquam Puellam per parentes, vel alios, quorum curæ ſit, Sponſalia contraxiſſe, ſtatim illam parentibus, vel aliis conſanguineis reſtitutam domum remittat: Si verò pluſquam duos dies Sponſam Puellam commorari in Monaſterio permiſerit, ſit ipſo facto ab Officio ſuſpenſa.

Quotidie omnes Moniales deuotè, & attentè ſacroſancto Miſſæ Sacrificio interſint, & ſingulis ſaltem Menſibus animarum ſuarum maculas expient, & Altaris Sacramentum ſuſcipiant: Hortamur tamen, & per Sponſi earum amorem obſecramus, vt ſaltem quolibet die feſto Sacroſanctę Menſę, quam Deus parauit aduerſus tribulantes ipſas, deuotæ, & immaculatę accedant, vt cœleſti illo Pabulo exaturatę terribiliores Diabolo, & hominibus exiſtant.

Ne ex ignorantia conſtitutionum, & Regulę Monialibus occaſio delinquendi oriatur, mandamus, vt quolibet menſe in Capitulo, vel Refectorio alta, & clara voce legantur, eædemq. omnes ſine vlla difficultate tranſcribendæ, ſeu priuatim legendæ tradantur.

Illis diebus, quibus Sacroſancta Eucharistia reficiuntur Moniales, tempore

ponéctiam Aduentus, & Quadrageſimę, & dum in Choro Diuina officia decantantur nulla Monialis cum externis loquatur, niſi neceſſitas iudicio Præfectę, vel Prioriſſę declaranda vrgeat.

### *De Voto Paupertatis.* *Cap. XXVIII.*

CVm non poſsit perfectus eſſe, niſi qui præcepto Domini paruerit, *Si vis Perfectus eſſe, vade, vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* & Monialis nec Sponſę Chriſti, nec Regularis nomine digna habeatur, quæ, licet mundum reliquerit, tamen mundanarum rærum deſiderio tenetur, & immemor paupertatis Sponſi Pecuniam, Redditus, Mobilia, & (quod deteſtabilius eſt) etiam Immobilia bona poſsidere tanquam propria non erubeſcit; volens Sancta Synodus huic exitiali morbo prouidere mandat omnibus, & ſingulis Monialibus noſtræ Diœceſis, vt ſtatim poſt duos menſes ab hac die omnia bona tam mobilia, quam immobilia, redditus, prouentus, nummos, & aliam quameumq. rem Pręfectæ, vel Prioriſſæ Monaſterii actualiter tradant, & aſsignent, eaq. omnia per dictam Præfectam, vel Officialem ab ea deputandam conſeruentur, & adminiſtrentur nomine Conuentus. Quicquid ab vnaquaque Moniali recipitur in libro à dicta Officiali diligenter adſcribatur, ipſiq. Moniali poſtea ex præcepto Prioriſſæ ad proprias neceſsitates ſubleuandas, vel quoties opus eſſe Præfecta iudicauerit, paulatim retribuatur; ſciantq. Moniales nullius rei ſeſe dominium habere, at quicquid habent, vſibus earum tantùm à ſuperioribus permitti; propterea quæ noſtro parere neglexerint præcepto, nulla ſe poſſe excuſatione muniri, quo minus peccati mortalis reæ, & proprietariæ contra Paupertatis Votum exiſtimandæ ſint, declarat S. Synodus.

Monialis, quæ abſq. Præfectæ vel Prioriſſæ licentia aliquid alicui dederit, vel donauerit, quod vnius Iulii valorem excedat, vltra Peccatum mortale, quod cõmittit, ab Illuſtriſsimo Ordinario excõmunicetur.

Monialis abſq. prædicta licentia nullas poſsit alicui Sacerdoti tam Seculari, quam Regulari Miſſas celebrandas committere, & nihil vel pro Eleemoſina, vel quocumq. alio titulo abſq. licentia tam ſeculari, quam regulari Clerico dono dare. Quæ ſecus fecerit excommunicationis pœnam incurret.

Mandamus omnibus Cœnobiorum Superioribus, Operariis, ac Secularium negociorum geſtoribus, vt intra tres menſes à die publicationis pręſentis Synodi reddant rationem iis, qui à præſenti Synodo deputati ſunt, omnium reddituum, & expenſarum piorum locorum, quibus quomodolibet præfuerint, qui deputati poſtea referãt Illuſtriſsimo Epiſcopo, qui pro ſua prouidentia ea, quę corrigenda

F ſunt,

ſunt, corrigat, & emendet, & quæ benè huc uſq. adminiſtrata ſunt protegat, ac promouear.

### *De Voto Caſtitatis.* Cap. XXIX.

IN vnoquoq. Monſterio Tyrocinium, ſeu locus Nouitiis recipiendis, & alendis, donec profeſsionem emiſerint, conſtituatur quamprimum fieri poſsit; quod negocium Sancta Synodus quam maximè cupit executioni mandari, cum ad Monaſticę vitæ perfectionem in primis vtile, ac neceſſarium exiſtat. Moniales, quę parere renuerint, quibuſcumq. pœnis ab Ordinario cogi, & compelli poſsint.

Mandat Sancta Synodus veſtigiis ſuperiorum Synodorum inhærens, vt in locis deputatis ad colloquendum cum externis Grates ſint duplices, Clathriq. earum ita ſibi inuicem iuncti, ac ſeſe interſecantes, vt nè manus quidem Pueri immitti queat; & interea Monialis nulla audeat ſub pœna excommunicationis feneſtras dictarum Gratium vnquam aperire, niſi aſtante Prioriſſa, vel eius Vicaria.

Loca Monaſterii collocutionibus externorum deſtinata ſiue interna, ſiue externa perpetuò pateant, dum adſint qui loquuntur, nec ante Solis ortum aperiantur, & poſt eius occaſum ſtatim occludantur. In poſterum ad Ianuas Monaſterii nulla Monialis colloquatur cum viris, ſed tantū cū mulieribus conſanguineis. Quæ non paruerint à Prę fecta Ordinario renuncientur, vt ab ipſo grauibus pœnis multentur

Nullus audeat ad Monaſteria ad alloquendas Moniales quantumuis ſanguine iunctas accedere, abſque licentia ab Ordinario impetrata, ac manu eius, vel Vicarii eius Generalis ſubſcripta ſub pœna excommunicationis, & triginta aureorum, quotum dimidium delatori, dimidium Monaſteriis pauperum Monialiū pro arbitrio applicabitur.

Quia inanium librorum lectio bonos mores corrumpit, mandamus, vt poſt Menſem à die publicationis huius Synodi Confeſſarii ordinarii Monialium ſingulos earum libros inſpiciant diligenter, & recognoſcant, quoſq. prophanas materias, vel minus decentes continere, aut prohibitos, vel ſuſpenſos eſſe repererint, auferant, & è Monaſteriis illico exturbent, nec vllo modo apud eas permanere permittant. Confeſſarii negligentia acriter arbitrio Ordinarii punietur.

### *De Voto Obedientię.* Cap. XXX.

MOnet Sancta Synodus omnes Sponſas Chriſti, vt meminerint ſe voto Obedientiæ aſtrictas eſſe, & ex eo voto ad tria præcipuè obligari, primò ad Regulæ præcepta implenda; ſecundo ad non

agen-

agendum contra Regulam, aut mandatum Superioris ex contemptu; tertiò ad omnia, quæ Superior iuxta Regulam, & inſtitutum præcipit, executioni mandanda: & quidem ſi Superior præcipiat in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ipſæ parere noluerint, peccabunt mortaliter, ac ſeſe non Sponſas Chriſti, ſed Virgines fatuas oſtendent, & cùm earũ Sponſus ad Nuptias venerit, ipſæ nequaquã admittentur, ſed in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentiũ, eiicientur, cum Sponſum imitatæ non fuerint, qui Patri factus eſt obediens vſq. ad mortem, mortem autem Crucis.

*De obſeruantia Ieiuniorum* Cap. XXXI.

HOrtamur omnes Chriſti fideles noſtræ curæ ſubiectos, vt ieiunia omnia ab Eccleſia inſtituta maxima cura obſeruent, & primùm ieiuniũ Quadrageſimale, cùm quia à Dño noſtro inſtitutũ eſt, tùm vt eo præparemur ad memoriam mortis, & Reſurrectionis einſdem Domini noſtri celebrandam; meminerintq. omnes hoc tempore non ſolum à cibis, verum etiam à vitiis eſſe abſtinendum; parum enim, aut nihil referret corpus per abſtinentiam affligere, niſi quoq. à culpa mens ieiunaret: Hi verò, quibus valetudo impedimento erit, nè Eccleſiæ pręcepto obediant, poterunt cum litteris teſtimonialibus alicuius Medici (cuius conſcientiam in hoc oneramus) ab Illuſtriſsimo Epiſcopo, vel eius Vicario facultatem veſcendi tempore Quadrageſimæ carne, & ouis, impetrare.

Volumus, vt in dicto tempore qualibet Hebdomada vna tantùm Laniena permittatur, qua carnes licitè vendantur non palàm, ſed foribus clauſis, & in locum vnius altera ſuccedat, donec omnes dicto tempore pędicta gaudeant facultate à Generali Vicario in ſcriptis impetranda.

Vigiliæ Sanctorum, & quatuor anni tempora, quibus ex præcepto Eccleſiæ ieiunatur, ab ouis, & lacte vnuſquiſq. abſtineat, vt laudabilis noſtræ Diœceſis conſuetudo huc vſq. ſeruata omninò futuris quoq. temporibus ſeruetur.

Cùm feſtum Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti in die Veneris, vel Sabbato acciderit, permittitur ex Canonicis ſanctionibus, vt carnibus veſci licitum ſit, exceptis iis, qui ſe voto obſtrinxerint.

Nè ludis, & Choreis impediri occaſionem habeant ieiunium Quadrageſimale in ipſo ſui exordio violandi, ſemihora ante mediã noctem præcedentem Feriam quartam Cinerum per integrum ſemihoræ ſpatium maxima Campanarum Cathedralis Eccleſię pulſetur, vt omnes intelligant, poſtquam ea pulſari deſierit, ſibi amplius non licere quicquam ea nocte comedere abſq. Ieiunii fractione, Mandamuſq.

F 2 omnibus

omnibus Parochis tum vrbanis,tũ ruralibus,vt hoc laudabile inſtitutũ ſequantur, & amplectãtur : qui verò neglexerit,acriter punietur.

### *De Medicis, Teſtamentis, & Sepulturis.* Cap. XXXII.

INhærentes conſtitutioni fel. record. Pii V. incipienti. *Supra gregem Dominicum &c.* mãdamus omnibus Medicis,cum ad infirmos lecto iacentes vocati fuerint,vt ante omnia ægrotos ipſos moneant, vt idoneo Confeſſario omnia peccata ſua confiteantur, nec ad ipſos tertiò viſitandos redeant, niſi certi reddantur ęgrotum huiuſmodi mandato paruiſſe,ſub pœna excommunicationis.

Mandamus omnibus Tabellionibus,& Notariis, vt, cum de aliquo Legato ad pias cauſas, vel de aliquo relicto piis locis, vel pauperibus Chriſti in teſtamento, vel aliquo alio contractu rogati fuerint, intra decem dies à morte Teſtatoris illud notificent Ordinario, vel eius Vicario Generali,aut Cancellario Curiæ Epiſcopalis,qui in libro ad hoc ſeligendo adnotet, ne piarum diſpoſitionum, & voluntatum fidelium memoria depereat, ſed per Illuſtriſsimum Epiſcopum curetur, vt executioni ab hęredibus quam primum demandetur. Notarii negligentia grauiter arbitrio Ordinarii punietur.

Vnuſquiſq. in Sepulcro maiorum ſuorum,niſi alibi ſepulturam elegerit, ſepeliatur : electio autem ſepulturæ non probetur niſi per Teſtamentum, aut per dicta duorum Teſtium de familia,vel cognatione Defuncti, qui omninò conteſtes ſint : Caueant autem Parochi, & Confeſſarii, ne ægrotos ad Sepulturam ſibi eligendam aliquo modo inducant, ſub pœnis arbitrariis, ſed totum hoc negotium pię decedentium voluntati relinquant.

Nullum corpus poſthac ſepulturæ tradatur, niſi mortuum duodecim horarum ſpatio permanſerit computandarum à tempore, quo omnibus viſum eſt animam exhalaſſe: nec facultas ſepeliendi citius,nec corpus aperiendi, vel ſecandi ab Illuſtriſsimo Antiſtite, vel eius Vicario alli concedatur, niſi ea Medicorum ſententia aliqua ea cauſa fuerit concedenda.

Parochi, & reliqui,quibus cura animarum commiſſa eſt, corpora Defunctorum, & præſertim miſerabilium non differant debito honore ſepelire, eo quod hęredes defuncti, ſeu ii, ad quos ſpectat, debita funeralia eis vel non ſoluant,vel ſe nolle ſoluere aſſerant, quia Illuſtriſſimo Ordinario curęerit, vt in hoc laudabiles conſuetudines obſeruentur,& debita eis ſtipendia ſoluantur.

Omnes Superpelliceis induti incedant. Cruci nec Linum, nec aliqua alia oblatio applicetur. Pauperum verò Cadauera cum Cruce, & duobus ſaltem luminibus in Eccleſiam deferant propriis expenſis

mer-

mercedem à Deo recepturi: Qui verò in hac re ſcandalum, vel Auaritiæ, & Simoniæ ſpeciem præbuerit, vel ſaltem abſq. duobus luminibus mortuum in Eccleſiam intulerit, quinque aureorum pœnam incurret Monaſteriis pauperum Monialium applicandam.

Mandamus omnibus Parochis Ruralibus, vt Cœmeteria clauſa, & munda cuſtodiant, nec in ea aliquod Animal ingredi poſsit, Corporaq. ibi ſepulta humo ſuperiniecta hominum, & animalium oculis abſcondita, & clauſa permaneant; & in Eccleſiis, vbi ſepulturæ non ſunt, pauimentum ad Cadauera ſepelienda non effodiatur, ſed ſepulturæ, ac cœmeteria quam primùm conſtruantur ſub pœna arbitrii.

Parochus, qui excommunicatum nominatim denunciatum, vel publicum Clerici percuſſorem, vel manifeſtum Vſurarium, vel alium, qui ab Eccleſiaſtica repellatur ſepultura, ſi abſque abſolutione deceſſerit, in Eccleſia ſciens ſepelierit, vltra alias pœnas à Sacris Canonibus conſtitutas ſit per annum ab Officio, & Beneficio ſuſpenſus.

## *De Iudiciis. Cap. XXXIII.*

Volumus, vt cauſæ, & iudicia omnia, tam Ciuilia, quam Criminalia breui expediantur amputatis dilationibus, & ambagibus omnibus, quæ maximo litigantium diſpendio in Curiam Epiſcopalem irrepſerunt.

Cùm negocia per vnum meliùs, & velociùs, quam per pluses expediantur, volumus, vt vnuſquiſ. Cancellarius Curiæ Epiſcopalis propriam habeat prouinciam, extra cuius fines nequaquam vagari poſſit, & vt vnuſquiſque eorum habeat Librum, qui ab eo diligenter, & ſub Clauibus cuſtodiatur, in quo per ipſum adnotentur, & deſcribantur omnia, & ſingula quæcumq. geſſerit, ſiue ex præcepto Iudicis, ſiue ad inſtantiam partis, ne vlla fraus à litigantibus ex ſubtractione actuum, vel ſcripturarum committi poſſit.

Negocia, & cauſas omnes Beneficiorum, & cauſas omnes delegatas, Diſpenſationes, Admiſsiones ad Sacros ordines, Litteras dimiſſoriales, Atteſtationes, cauſas, & negocia Equitum, & Profeſsiones Fidei, & negocia omnia Monaſteriorum S. Crucis, & Comitiſſarum committimus, & aſsignamus *D. Matthæo Tozio.*

Cauſas omnes Ciuiles, Sequeſtria, & præcepta, necnon negocia Monaſteriorum S. Claræ, & S. Michaelis Archangeli, & Sanctiſsimæ Trinitatis aſsignamus *D. Petro Bono.*

Cauſas omnes Criminales de damno dato, & turbatæ poſſeſsionis, item Monitoria aſsignamus *D. Dominico Barbio*, & ſimiliter negocia Monaſteriorum S. Mariæ Magdalenæ, vulgò, *Delle Santucce*, & S. Hyeronimi Pauperculaurum.

Quæ

Qui in alterius negocia ſeſe ingeſſerit, vitra dictas pœnas, nullitate actuum mulctatus exiſtat.

Nullus Cancellarius poſsit procurare, vel patrocinari in cauſa, cuius ipſe actuarius extiterit ſub pœna decem aureorum arbitrio Epiſcopi applicanda.

Mandamus ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto incurrant, omnibus, & ſingulis tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, vt infra menſem à die publicationis præſentis Synodi omnes, & ſingulas ſcripturas, & inſtrumenta ad res Eccleſiaſticas quomodolibet pertinentia, ſiue ad Menſam Epiſcopalem, ſiue ad libertatem Beneficiorum, & Eccleſiarum, ſiue ad Hoſpitalia, & cætera loca pia, deferant ad Cancellariam, & Curiam Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi, vt ibi quam diligenter aſſeruentur; poſsitq. copia quarumcumq. ſcripturarum authentica peti ab iis, quorum Originalia fuerint, illisq. abſq. mora à Cancellario, cuius negocii fuerit, tradatur

*De Conſtitutionibus.* *Cap. XXXIIII.*

Confirmamus Synodus, Edicta, Conſtitutiones, & Reformationes omnes ab Illuſtriſsimis, & Reuerendiſsimis DD. Ioanne Albertio, & Philippo Bardio Epiſcopis Cortonẽſibus, quorum memoria in benedictione eſt, promulgatas, editas, & emanatas, illaſq. in viridi obſeruantia eſſe in Iudiciis omnibus declaramus.

Pręſentis Synodi conſtitutiones volumus ab omnibus obſeruari, pœnaſque in illis contentas omnes aſtringere poſt Menſem ab hac die; pœnam autem Peccati mortalis nullam harũ conſtitutionũ declaramus irrogare, niſi eam, in qua expreſsè, & ſub pœna Peccati mortalis, vel Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti declaratum fuerit, vel in virtute Sanctæ Obedientię, aut ſub pœna Maledictionis æternæ aliquid mandatum, vel probibitum fuerit.

Lectis, & approbatis à Synodo Decretis, cùm Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus Epiſcopus obſeruantiam eorum Sacerdotibus, & Clericis pręcepiſſet, ac ſe, & Eccleſiam ſuam orationibus omnium commendaſſet, lecta ſunt à Cancellario Curiæ nomina omnium, qui Synodo intereſſe debuerant, & omnes præſentes ad ſua nomina ſurgentes reſponderunt; abſentes notati, ac debita pœna per Epiſcopum mulctati ſunt.

Poſt hæc ſurrexit Epiſcopus dimiſſa Mitra, & ſtans verſus ad Altare dixit. *Oremus. Nulla eſt Domine &c.* pro vt in Pontificali; deinde

deiode beoedixit ſolemniter omnibus, dicens. *Sit nomen Domini benedictum &c.*

*Acclamationes Sacerdotum in fine Synodi.*

*Præpoſitus.* SAnctiſsimo, ac Beatiſsimo Patri, ac Domino noſtro, D. VRBANO Papæ VIII. felix Eccleſiæ regimen, & multos annos.

*Reſp. Synodi.* Beatiſsimum Pontificem Eccleſiæ tuæ conſerua Paſtor, & Pontifex eterne Chriſte.

*Præp.* Sereniſsimo Ferdinando II. Orthodoxo, & pacifico Catholicæ fidei defenſori, Magno Duci noſtro vita, & victoria.

*Reſp.* Optimum Principem, & pium adoleſcentem conſerua nobis Deus: Imperator cœleſtis tuæ Eccleſię cuſtodem defende à cunctis hoſtibus.

*Præp.* Sereniſsimis Mariæ Magdalenæ, ac Chriſtianæ, fortibus mulieribus, quas Dominus nobis adinuenit, & quæ ad fortia extenderunt manus ſuas, omnia dona perfecta, & optima concedat Deus.

*Reſp.* Piarum fœminarum labores, & vigilias dirigas Deus, & videant filios filiorum ſuorum vſq. ad quartam, & quintam generationem, & demum plenæ annis in luce quieſcant Sanctorum.

*Præp.* Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Coſmo Patri, ac Epiſcopo noſtro, huius ſanctę Synodi Præſidi, ac Promotori, digne munus ſuum adimplere, ac in fine vitæ in Domini gaudium introire.

*Reſp.* Non inueniatur ſimilis illi, qui conſeruet legem excelſi, vt à Domino mereatur mercedem accipere.

*Præp.* Clero, ac Populo Cortonenſi piam, & quietam vitam agere in cuſtodia mandatorum ſuorum concedat miſericors Deus.

*Reſp.* A' Peſte, Fame, & Bello populum tuum libera Domine, & in vinculo Charitatis, & Pacis cuſtodi nos ſemper.

*Præp.* Sacroſanctæ Diœceſanę Corton. Synodi Decreta

*Reſp.* Semper confiteamur, ſemper ſectemur.

*Præp.* Omnes ita credimus, omnes idipſum confitemur, omnes idem ſentimus.

*Reſp.* Ita credimus, ita confitemur, ita ſentimus.

*Præp.* His Decretis inherentes digni reddamur miſericordia, & gratia Summi Sacerdotis Ieſu Chriſti Dei, & Saluatoris noſtri, intercedente ſimul inuiolata Domina noſtra Sancta Deipara, Sancto Vincentio, Beata Margharita, & Beato Guido Protectoribus noſtris, & omnibus Sanctis.

*Reſp.*

*Reſp.* Fiat, fiat. Amen, Amen.
*Prep.* Recedamus in Pace.
*Reſp.* In nomine Chriſti.

Tunc omnes pariter ſurgentes Epiſcopum Cappa indutum cum Superpelliceis domum reduxerunt, & ſic Seſsioni, & Synodo finis impoſitus eſt.

LAVS DEO, ET B. VIRGINI.

FLORENTIAE.

Ex Thypographia Sermartelliana.

MDCXXIV.

Superiorum permiſſu.